MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80397-6

AUTHOR:

ALLIHN, FRIEDRICH H. T.

TITLE:

DE IDEA IUSTI QUALIS FUERIT APUD ...

PLACE:

HALIS

DATE:

[1847]

Master Negative #

91-80397-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Allihn, Friedrich Heinrich Theodor, 1812-1885.
De idea iusti qualis fuerit apud Homerum et Hesiodum, ac quomodo a Doriensibus veteribus et a Pythagora exculta sit. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet Fridr. Henr. Theod. Allihn ... Halis, typis expressum Ploetzianis [1847]
iv,70 p. 21½ cm.

Thesis, Halle, 1847

6570

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-26-91 INITIALS EB
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

IDEA IUSTI

QUALIS FUERIT APUD HOMERUM ET HESIODUM, AC QUOMODO A DORIENSIBUS VETERIBUS ET A PYTHAGORA EXCULTA SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

DOCENDI FACULTATEM

RITE IMPETRANDAM

IN LITTERARUM UNIVERSITATE HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

D. XVI. M. OCTOBR. A. D. MDCCCXLVII. HORA XI.

IN AULA ACADEMICA

PUBLICE DEFENDET

FRIDR. HENR. THEOD. ALLIHN

PHIL. DR. ET AA. LL. MAG.

HALIS,

TYPIS EXPRESSUM PLOETZIANIS.

Prooemium.

Quum nuper in inquirendis de honesto et decoro sententiis a Platone propositis versarer, non inutile mihi visum est accuratius perscrutari, qui factum sit ut philosophus in constituenda idea iusti a vulgari Graecorum sententia tantum recesserit. Reputavi igitur mecum, num forte ea in re ingenio suo potius indulserit Plato quam animum ad leges dialecticas accurate adstrinxerit; an revera Graecorum veterum de iusto notiones tam perversae fuerint, ut severitatem ac disciplinam philosophicam reformidarent, vel saltem tam discordes inter semet ipsas, ut philosophus, si ideam iusti integram habere vellet, ex alia quadam quam quae vulgo iusta habebatur sentiendi agendique ratione eam deducere deberet. Quarum causarum altera valuisse videbitur si contuleris disputationes cum in Gorgia tum in primo de civitate libro institutas, quibus Plato probare vult, in describenda idea iusti vulgarem sentiendi rationem propter discordiam qua laboret internam prorsus esse relinquendam adeoque novam civitatem delineandam, ut revera iusti et iustitiae imago in societate hominum publica exprimatur. Si vero accuratius persecutus fueris sententias de iusto a philosopho prolatas, res denuo in dubium vocabitur. Apparet enim Platonem nova notionis explica-

tione non id assecutum fuisse, ut cunctas iusti rationes amplecteretur, imo potius ut singulares quasdam et genuinas iusti rationes significaret, vulgarem notionis usum in auxilium vocare eum fuisse coactum. Praeterea apud Platonem *δικαιοσύνης* notio a *σωφροσύνης* non satis seiuncta sed utraque haud raro commutata reperitur. In libris autem de legibus pro *δικαιοσύνης* virtute *σωφροσύνην* principatum nactam fuisse, multis locis probavit Zellerus in libro: Platon. Studien p. 34 sq. Quae quum ita sint, licet nobis suspicari Platonem in idea iusti constituenda iusti ambitum et usum non integrum considerasse nec penitus perspexisse, sed neglecta notionis ratione genuina vim verbis intulisse.*) Attamen inter omnes homines doctos, qui Graecorum veterum litteras mores et instituta cognoverunt, satis constat Graecos, ut in multis aliis rebus insignes fuerunt, ita etiam in excolenda idea iusti non exiguam laudem sibi comparasse. Quapropter operae pretium putavi, non solum ad doctrinam de moribus quam Socrates eiusque discipuli proposuerunt illustrandam et melius diiudicandam, verum etiam ad ipsius iusti notionis naturam et indolem accuratius dignoscendam, veterum Graecorum de iusto sententias, quantum fieri licet, serie continua explicare.

Initium faciens ab Homero, totius Graeciae praeceptore, paullo latius de eo commentatus sum, non solum propter

*) Quod etiam Cicero confirmat, qui de orat. I, 52 haec monuit: „ne si quando (sc. oratori) dicendum erit de iustitia ac fide, mutuetur a Platone; qui cum haec exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem: usque eo illa, quae dicenda de iustitia putabat, a vitae consuetudine et civitatum moribus abhorrebant."

materiae copiam et difficultatem ex inconstante notionum significatione nascentem, sed potissimum eam ob causam, quod ad fundamentum totius quaestionis recte iaciendum multum interest, sententias Homericas in Odysseae et Iliados libris obvias prae reliquis perspectas habere. Hymni enim minus huc pertinent nec satis lucri afferunt. Ab Homero quominus statim ad Hesiodum transeam, nihil impedit. Nam ad Ionum veterum vitae rationem perlustrandam eo securius apud Homerum subsistere licet, quia exigua tantum restant litterarum posthomericarum fragmenta, ita ut nihil novi ex iis queat erui. Quae vero ex inferiore aetate servata sunt, a pristina ratione tantum recedunt, imo ei adversantur, ut melius nova sententiarum series, ad philosophiam Ionicam nos perducens, inde incipiatur. Carmina autem sub Hesiodi nomine nobis tradita non solum vetustate Homericis proxime succedunt, verum etiam sententias Homericas cum de aliis rebus tum de idea iuris propositas bene excipiunt. Quod enim de fundamento iusti proprio leviter tantum apud Homerum indigitatum est, operum et dierum auctor disertis verbis explicat. Ita fit ut hominum tam gente quam vitae ratione dissimilium sententiis comparatis, unius eiusdemque rei natura et indoles multo magis eluceat quam alioquin fieri potuisset. Hesiodus autem nobis viam paravit ad Doriensium veterum de iusto et decoro sententias, quantum pro fontium inopia licuit, accuratius explicandas. Addidimus Pythagorae de iusto doctrinam multis in rebus cum vetere Doriensium sentiendi ratione congruam. Itaque toti commentationi finem aptum imposuimus. Quae praeterea supersunt ad quaestionem inchoatam usque ad Platonis aetatem

perducendam in tempus magis opportunum differre nobis liceat.

Quod reliquum est nihil antiquius habemus, quam commentationem nostram lectoris benevolentiae commendare, causam nostram ad iudicem magis aequum quam severum delaturi. Quicunque enim in hoc quaestionum genere non plane est hospes, facile concedet viam hic incedendam multis de causis tam lubricam esse ac salebrosam, ut vel ii, qui omne cautionis genus summamque diligentiam adhibuerint, non potuerint quin hic vel illic a recta via delaberentur. Sed ne multa praefando molesti videamur, statim ad explicandas Homericas de iusto sententias transeamus.

De
idea iusti apud Homerum.

Ad significandam notionem iusti quum vocem *τοῦ δικαίου* apud Homerum maxime usurpatam reperiamus, consentaneum videtur prae ceteris inquirere, quo sensu illa vox adhibeatur. In universum autem constat notionem *τοῦ δικαίου* ad id referri, quod normae ac legi cuidam voce *δίκῃ* significatae respondeat. Iam vero quum vox *δίκη* morem receptum, ritum, usum, consuetudinem plerumque significet, facile apparet notionem *τοῦ δικαίου* id potissimum comprehendere, quod moribus, institutis, ritibus hominumque consuetudini consentaneum sit. Quoniam autem mores hominum usus-que mutui ad sentiendi agendique rationem pertinent, sub notione *τοῦ δικαίου* fortasse quis omnem vel sentiendi agendique rationem, vel voluntatis et actionis eventum *τῇ δίκῃ* convenientem intellexerit. At nimis festinanter. Nam apud Homerum iam vox *δίκη* significationem induit tam attenuatam, quasi dilutam atque ab ethica vocis potestate tam remotam, ut nonnunquam etiam legem quandam naturae vel sortem ac conditionem aliquam ab hominum voluntate non pendentem significet. Sic Od. XI, 218 de sorte hominum quando mortui sint et carne atque ossibus careant *δίκη βροτῶν*, Od. XIV, 59 de servorum conditione qui pauca habeant quae donare possint, *δμωῶν δίκη*, Od. XIX, 43 de natura deorum qui splendorem spargant, *θεῶν δίκη* reperitur. Huc etiam pertinet locutio Od. XIX, 168 *ἡ γὰρ δίκη ὁππότε*, fieri solet quando. Quid mirum quod a poeta etiam consuetudo vel agendi ratio a nonnullis hominibus usurpata, quae non modo non communis lex et regula agendi esse debeat, sed quae maxime dis-

pliceat, *δίκης* nomine significatur, sicuti Od. IV, 691 *δίκη βασιλήων* alterum diligere alterum odisse, Od. XVIII, 275 *μνηστήρων δίκη* de iniusta et improba procorum ratione.*) Vocis vero *δικαίου* usus apud Homerum non tam late patet, quam *δίκης* usum patere modo vidimus. Ad significandas enim rationes, quae in mores non cadunt, sed ad res ex lege aliqua naturae vel arbitraria quadam norma institutas pertinent, illa vox a posterioribus demum scriptoribus in sermone praesertim pedestri adhibetur. Vocem autem illam ad agendi rationes inhonestas transferre poetae eam ob causam non licuit, quoniam tunc in acerrimam notionis repugnantiam incidisset. Patet igitur *τοῦ δικαίου* notionem apud Homerum voluntatis exprimere rationem, quae in ambitum quidem notionis *δίκης* dilatatum cadit, sed ad honestam tantum et probam consuetudinem refertur. Od. XIV, 90 coll. XVIII, 275 sq. Od. III, 52. 134. coll. vs. 138 et Eustath. ad h. l.

Quum autem homines non tam merae consuetudinis cogitatione quam iudiciis de apto, honesto, decoro impellantur, ut mori recepto convenienter agant, poetae licebat non modo agendi rationes more recepto certisque legibus praescriptas, sed etiam omnes eas haud sane paucas, quae ubi mores nihil certi dictitent nonnisi iudiciis illis nativis commendentur, *δικαίας* nominare. Si vero quis inde colligeret, *δικαίου* notionem prae ceteris de honesto notionibus ab Homero adhiberi ad significandas sentiendi agendique rationes cum iudiciis illis convenientes: is profecto id quod fieri potuerat cum

---

1) Eundem vocis usum apud posteriores scriptores reperies ex. gr. ap. Aeschylum *κυνὸς δίκην*, Agam. v. 3. *δίκαν ὀνειράτων* ibid. 980, *κύματος δίκην* ib. 1181, *νύμφης δίκην*, ib. 1179, *χελιδόνος δίκην* ib. 1047, *βοὸς δίκην* ib. 1298, *δίκαν χιμαίρας* ib. 232, *βαρβάρου φωτὸς δίκην* ib. 919 cf. praeterea Ag. 1444, Coeph. 195. 201. 1048, Eum. 26. 157. Iucundum erit, cum illo *δίκης* usu vocis *νόμου* usum apud posteriores comparare. Sicuti enim vocis *δίκης* potestas in locis supra laudatis a iuris significatione remota erat, ita opinio usu recepta *τοῦ νόμου* voce significata ab eorum, quae revera sint, scientia discernitur apud Herod. IV, 39. Imprimis autem huc pertinet sententia inclyta Democriti apud Sext. Emp. adv. Math. VII. §. 135. p. 399. ed. Fabr. *Νόμῳ γάρ, φησι, γλυκὺ καὶ νόμῳ πικρόν, νόμῳ θερμόν, νόμῳ ψυχρόν, νόμῳ χροιή, ἐτεῇ δὲ ἄτομα καὶ κενόν. Ἅπερ νομίζεται μὲν εἶναι καὶ δοξάζεται τα αἰσθητά, οὐκ ἔστι δὲ κατὰ ἀλήθειαν ταῦτα, ἄλλα τὰ ἄτομα μόνον καὶ κενόν.*

eo quod revera factum est, egregie confunderet. Nam qui levius tantum poetae nostri carmina tractaverit, probe sciet, vocem *δικαίου* neutiquam talem principatum obtinere, sed ad singulas probas agendi rationes significandas multas voces cognatas admitti. Quis enim non meminerit horum locutionum saepissime occurrentium: *ἐπιεικές, αἴσιμον, κατὰ μοῖραν, κατὰ κόσμον, θέμις ἐστί, χρῆ* et quae sunt reliquae? Praeterea notandum est, quae honesta et decora apud Homerum habentur, merae officii notionis finibus nondum fuisse coarctata ac diminuta, sed sicut ea pro genuina sua indole per se placent, dummodo animum ad proprias quibus continentur rationes adverteris, ita etiam variis locutionibus significari. Huc referas praeter singulas voces modo laudatas alias cum particula *εὖ* compositas, deinde praedicata frequenter usitata *τοῦ καλοῦ, ἀγαθοῦ, ἐσθλοῦ*, alia. Caveas tamen ne voces istas pro sinceris ac puris iudiciorum de honesto absolutorum enunciatis habeas, imo potius, quum e vulgari sentiendi ratione quod pulchrum et bonum vocatur plerumque ad aliquid referatur, cui pulchrum vel bonum sit, sensus saepe iis inest mere relativus. Qui dicendi usus fluctuans nec satis sibi constans per omnes fere Graeciae antiquae litteras ita propagatus est, ut vix Socrati et Socraticis contigerit, eum ad fines certos restringere, ita ut id quod bonum et pulchrum per se est, ab eo quod bonum, aptum et utile est ad finem aliquem exequendum, separarent et separatum tenerent.

Ad notiones autem *τοῦ δικαίου* et *τοῦ ἀγαθοῦ* discernendas monuisse sufficiat, utraque voce, cui et *ἀμύμων* accedit, integritatis laudem uni eidemque rei vel agendi sentiendique rationi diverso sensu tribui. Etenim ubi *τοῦ δικαίου* laus adhibetur, ibi semper norma respicitur, cui habitus quidam convenire debeat, sed *τὸ ἀγαθὸν* virtutem vel praestantiam significat quum in universum et per se spectatam tum ad finem quendam relatam. Sed quum haud raro fiat, ut finis, cui res aliqua vel ipse homo inservit, simul iusta norma sit, cui se accommodare debeat, non mirum est, quod utraque notio interdum ita commutata reperiatur, ut altera alterius vicem sustineat. Quod quidem rarius factum est in significandis hominum moribus, ibi enim usus dicendi magis sibi constat, saepius vero in significandis

rebus, praesertim apud posteriores scriptores, cf. lexicogr. s. h. v. Memoratu autem dignum est, apud poetas Ionicos nullum locum reperiri, quo foemina proba δίκαια dicatur. Ubique tantum τῆς ἀγαθῆς laudem accipit. De vetere usu Dorico propter monumentorum inopiam non satis liquet.

Iam ut varium τοῦ δικαίου colorem accuratius cognoscamus et viam ostendamus, qua inde ab Homeri aetate usque ad posteriora tempora vocis usus ac potestas apud Graecos processerit, necessarium est ut in considerandis singulis, quae in carminibus Homericis describuntur, vitae agendae rationibus paulum subsistamus. Ante omnia meminisse oportet τοῦ δικαίου notionem Homericam in vitae societate poni certis legibus temperata, in qua non ab arbitrio singulorum hominum pendeat quomodo alteri erga alterum agendum sit, sed ubi superiores ac communes illae ad vitam moderandam valeant leges partim δίκης partim θέμιτος nominibus significatae. Cui bene moratae hominum societati opponitur vita Cyclopum Od. IX, 106 sq., qui disiuncti in antris montanis vitam cum familiis et gregibus agrestem degant, nulla iura agnoscant et cuncta ex arbitrio perficiant. Itaque Polyphemum appellat:

ἄγριον, οὔτε δίκας εὖ εἰδότα, οὔτε θέμιστας

Od. IX, 215. cuius verba vs. 275 sq. summam ferocitatem insolentiam et contumaciam prae se ferunt. Ille enim Iovem et reliquos deos non curat, homines flocci habet et corporis robore fretus ita tantum se agere profitetur, ὡς θυμὸς κελεύει. Qua de causa Cyclopes praecipue ὑπερφίαλοι et ἀθέμιστοι dicuntur. Melius culti Laestrygones apparent, quippe qui in civitate vivant institutis et legibus moderata. At quum eundem ferocem et infestum animum adversus peregrinos ostendant, ipsi quoque ut homines rudes et feroces describuntur. Contra Abii γαλακτοφάγοι, apud quos dii lubenter commorantur, δικαιότατοι nominantur Il. XIII, 6.; accuratior autem vitae eorum descriptio deest. Certo enim iam inter aequales poetae constabat, quod posteriores scriptores nobis narrant, Abios et placidis moribus et humanitate comitateque erga peregrinos insignes fuisse.*) Simili ratione Chironi centauro nomen

*) Ad Abios fortasse etiam illa laus pertinet, quam Hesiodus ho-

τοῦ δικαιοτάτου tribuitur, quod scholiasta τοῦ φιλοξεινοτάτου notione explicat, sed nimis anguste. Pertinet enim illa laus etiam ad Centauri sapientissimi studium, bonis moribus atque ingenuis artibus edocendis mitiores et humaniores aequales reddendi.*) Qui animi sensus in societate hominum valere debeant, notissimis his verbis indicatur:

ἤ ῥ' οἵγε ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδε δίκαιοι
ἦε φιλόξεινοι, καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής;

cf. Od. VI, 120. 121. IX, 175. 176. XIII, 201. 202.

Hic statim duae nobis obviae sunt conditiones ad iustam hominis naturam constituendam. Prior, ut homo intelligat, quae δίκη iubet. Qua propter cum notione τοῦ δικαίου prudentiae et sapientiae significationes, πεπνυμένου et νοήμονος crebro coniunctae inveniuntur. Adeoque quum quod τὸ δίκαιον poscit non solum in certa consuetudine, moribus, institutionibus et legibus contineatur, sed saepe etiam e fonte quodam interno, ex hominum de honesto et decoro sensibus petatur, intelligentia moralis frequentissimis his locutionibus, φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς, ἤπια εἰδὼς variisque verbi αἴδεισθαι formis circumscribitur. Quae intelligentia moralis ab homi-

minibus iustis ac beatis tribuit, qui fructibus ex agro sumtis contenti nulla avaritia impellantur, ut navigatione et mercatura lucrum quaerant. Hesiod. op. 236.

*) Rem bene explicat locus Titanomachiae, quem Clem. Alex. Strom. I. p. 360. ed. Pott. laudat: Ὁ δὲ Βηρύτιος Ἕρμιππος Χείρωνα τὸν Κένταυρον σοφὸν καλεῖ· ἐφ' οὗ καὶ ὁ τὴν Τιτανομαχίαν γράψας φησίν, ὡς πρῶτος οὗτος

εἴς τε δικαιοσύνην θνήτων γένος ἤγαγε δείξας
ὅρκον καὶ θυσίας ἱλαρὰς καὶ σχήματ' Ὀλύμπου.

Praeterea schol. ad Apoll. Rhod. I, 554 de Gigantomachiae auctore haec affert. Εἰκότως δὲ παρεισήγαγε εἰκόνα, καὶ ὡς φιλαλήθη, καὶ ὡς δικαιότατον τῶν Κενταύρων, καὶ ὡς ἔχοντα οἰκειότητα πρὸς Ἰάσονα. Τὴν γὰρ ἰατρικὴν ἔμαθε παρ' αὐτοῦ. cf. fragm. Hesiodi ap. Schol. ad Pind. Nem. III, 92. Artem medicam Chiron etiam Aesculapium docuisse dicitur apud Homerum Il. IV, 219 et Achillem ib. IX, 831. Praeterea in arte venandi, gymnastica et musica filios heroum instruxisse narratur. Pindarus divinationem insuper ei tribuit, Pyth. IX, 65. Quantam autem sapientiam in Chironem veteres contulerint, iam ex eo apparet, quod unum e perditis Hesiodi carminibus Χείρωνος ὑποθῆκαι inscriptum fuerit. Cf. Fabricii bibl. Graecam ed. Harles. I. p. 115, Markscheffel Hesiodi, Eumeli etc. fragmenta, Lips. 1840. p. 175 sq.

nibus Homericis tanti habetur, ut Telemachus propterea quod bene sciat *ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια*, probare conetur, se iam sui iuris esse et procos nunc sibi obsequium ferre debere. Sed quum nondum sufficiat scire quid sit *τὸ δίκαιον*, si adhuc desit iuste agendi voluntas, altera conditio accedere debet, ut pronum quisque ad perficiendum id, quod iustum et decorum esse intellexerit, habeat animum nec patiatur ut cupiditates adversae maiorem vim quam iuste agendi studium in mentem exerceant. Tametsi autem Homerus in universum statuat, hominem prudentem iam sua sponte apta et decora facturum esse, multis tamen utitur locutionibus, ut *πρόφρων*,*) *ἀγανός, ἤπιος, ἐλεήμων, ἐλεητὸν ἔχων, νόημα γναμπτὸν ἔχων, αἰδοῦς μοῖραν ἔχων, ἐναίσιμος, φρένες ἐναίσιμοι*, quae ad pronam voluntatem, utpote quae sit honeste agendi conditio, diserte spectant. Insuper animum compescendi officium, *θυμὸν κατέχειν, δαμάζειν*, ne *δίκη* violetur, commemoratur Il. XXIII, 602 sq. IX, 496 sq. XIX, 67 sq. Duplices illae *τοῦ δικαίου* conditiones consociatae reperiuntur in verbis: *ἐχέφρων, σαόφρων*,**) *φρένες ἔϊσαι*,***) *εὐφρονέων*, ita vero, ut sanae mentis significatio in iis praevaleat.

Quam arcte illae notiones cum notione iusti cohaereant, magis apparet e nominibus iniuste agendi rationi tributis. Sic proci saepissime nominantur *οὔτι νοήμονες οὐδὲ δίκαιοι*, quibus attributis *ἀφραδέων* cognomen adiicitur. Od. II, 283. Ut aliud exemplum afferam, Achilles Agamemnonis insolentiam acerrime vituperans de eo dicit:

ἐκ γάρ εὖ φρένας εἵλετο μητίετα Ζεύς,

Il. IX, 377. Ipse enim intelligentiae moralis defectus in societate hominum bene moratorum Homeri de sententia iam

*) cf. Nitsch. ad Od. II, 231.

**) De *σαοφροσύνη* Homerica cf. Helbig: die sittl. Zustände des griechischen Heldenalters p. 130.

***) *Φρένες ἐσθλαὶ* Od. XI, 567. Il. XIII, 432. XVII, 470 et *ἀγαθαὶ φρένες*, Od. XIV, 421. 398. Il. VIII, 360 non tam voluntatis quam prudentiae laudem involvunt. Sed quum talis mentis conditio etiam negligentiae opponatur, et quae prudenter moliantur non solum aliis salubria sed etiam honesta sint, Il. IV, 160 sensus moralis cum illis locutionibus facile coniungitur. Idem notandum est de verbis *εὐφρονέων* et *δαΐφρων*. Nitsch ad Od. II, 160. I, 48.

magno cum vituperio coniungitur, siquidem unumquemque animo fluctuantem atque in agendo sibi imparem aequalium de honeste sententias consulere deceat. Quod etiam tunc valet, si mentis coecitas, *ἄτη*, ab ipso numine cuidam immissa putatur. Ita Helena describente poeta ab opprobriis sibimet ipsi factis gravissimis sese vindicare non potuit cf. Il. III, 187. 242. VI, 344. quamvis sibi persuasisset, se numinis vi fuisse obcoecatam, Il. III, 399. VI, 356 sq. in qua opinione Priami senis sententia confirmatur, Il. III, 164. Adeo postquam Menelaus coniugi eam ob causam ignovit, ipsa, quanta facinora commiserit, recordata, neutiquam innocentem sese fuisse opinatur, sed male gestorum conscientiam acerrimis conviciis sibi factis ostendit. *) — Iniuria tamen eo vehementius vituperatur, quo magis apparet hominem prorsus sibi conscium ius violasse. Cuius rationis exemplum praebent proci, qui quum *ἐσθλοὶ* et *βουλῇ καὶ μύθοισι ἄριστοι* fuissent, ita mente destituti esse non poterant, ut ius ab iniuria non discernerent, id quod satis ipsi declararunt, Od. XVII, 451. 452. XX, 294. Praeterea iniuste facta saepissime iis obiiciebantur Od. II, 64 sq. XVI, 418 sq. XVII, 455. 380 sq. neque negabant ea Od. XX, 321. 322 coll. Od. XVIII, 414. 415. XXII, 45. Itaque omnis pudoris et decentiae obliti *ἀναίδεες* Od. XIII, 370. XX, 171 dicuntur, aequitate ac clementia destituti, *χαλεποί* **) Od. XVII, 388. et inaudita libidine omne ius omnesque mores honestos illudentes *ὑβρίζοντες ὑπερφιάλως* dicuntur Od. I, 227. atque *ὑβρίζοντες ἀτάσθαλα μηχανόωνται*, Od. XX, 170. Sum-

*) Causa, qui fiat, ut homo a Diis ad facinora perpetranda incitatus, reus habeatur nec culpam a se removere queat, ab Homero disertis verbis non explicatur. Multa enim apud eum de culpae ratione fluctuabant. cf. quae Naegelsbach. Homerische Theologie p. 268 sq. de ea disputat. Apud poetas tragicos demum diserte haec causa *ἄτης* affertur, ut homines ad mala perficienda iam paratum habuerint animum. cf. Sophocl. Oed. Col. vs. 371. 372.

νῦν δ' ἐκ θεῶν του κἀξ ἀλιτηρίου φρενὸς
εἰσῆλθε τοῖν τρισαθλίοιν ἔρις κακή.

**) *Τοῦ χαλεποῦ* notionem optime explicant Minervae verba Od. II, 230 — 233 coll. V, 8 — 11.

μήτις ἔτι πρόφρων, ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω
σκηπτοῦχος βασιλεύς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς·
ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη, καὶ αἴσυλα ῥέζοι.

mam eorum superbiam ac contumaciam *ἀεικέων ἔργων* Od. XVI, 107. XX, 317 et *ἀνσχετῶν ἔργων* Od. II, 63. fontem poeta paucis indicat his:

ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.

cf. Od. XV, 329. XVII, 565. Apparet igitur *βίαν* et *ὕβριν* iuste agendi rationi maxime adversari. Quibus accedit temeritatis notio forma plurali *ἀτασθαλίαι* significata. Cuius de pluralis formae potestate et sensu cf. Spohnium de extr. Odys. parte p. 106.

Quae hactenus exposuimus, quantumvis necessaria sint ad iusti rationem maxime generalem cognoscendam, tamen non sufficiunt ad notionis indolem atque usum in singulis causis satis perspiciendum. Quod ut melius fiat, debiti nota, *τοῦ καθήκοντος* apud posteriores, in voce *δίκη* contenta accuratius inquirenda videtur. Iam si sub notione *δίκης* intelligitur quod alter alteri debeat, duplicem ea et poscentis et praestantis continet rationem. Requiruntur igitur duae saltem personae vel potius duarum personarum voluntates, quarum altera aliquid poscit, quod denegare non licet alteri, ne iniuriae et insolentiae culpam sibi consciscat. Hinc apparet *τὸ δίκαιον* ad aliquid referri, quod praestare alter officio iubetur, quod poscere alteri ius permittit. Quae quidem ratio ibi iam apparere incipit, ubi sponte quid in hominum consuetudine iudiciis de honesto et decoro convenienter fieri solet, ut Od. III, 52; magis etiam locum habet in officiis pietate et humanitate commendatis; maxime vero valet ubi disertae leges latae officia qualia tandem cunque imponunt. Sed notio *τοῦ δικαίου* non solum complectitur, quod alter alteri diserte praestare debet, verum etiam quod cavendum ei est, ne forte negligentia quadam admissa damnum alteri inferat. Ubi vero alter alteri damnum apportavit, item *τοῦ δικαίου* ratio postulat, ut aequa ratione resarciatur. Idcirco minus recte factum esset, si *τοῦ δικαίου* notionem Homericam ad meri iuris rationem restringere conaremur; admittenda etiam est ratio aequi, quae licet peculiarem habeat indolem in subtili quaestione de honesto seorsim spectandam, cum ratione iuris una eademque voce a poeta comprehenditur. Sed non solum maleficii ultionem et damni reparationem *τὸ δίκαιον* poscit, verum etiam iustam et aequam bene factorum remu-

nerationem. Quod ut melius intelligamus, ad singula exempla a poeta tradita transeamus.

Initium faciamus ab Agamemnonis contra Achillem agendi ratione vividissimis coloribus a poeta descripta, qua optime edocemur, quomodo *ἄδικα* hominis studia ab impudenter postulatis et verbis dure enuntiatis usque ad facinora acerbissima summaque violentia perpetrata progrediantur, deinde quid de iniuria expianda idea aequi tum ei, qui mala intulerit, quum qui acceperit, praecipiat.

Agamemnoni pro reddenda Chryseide aliud *γέρας* poscenti, quum minime deceat regem *ἀγέραστον* esse Il. I, 119, Achilles aviditatem exprobrat, quippe bene scienti communem iam deficere praedam, nec ullo modo licere munera dispertita reposcere. Sed ut satisfaciat regi post Troiam captam triplum vel quatruplum ei promittit, Il. I, 120—129. Quod promissum repudians Agamemnon minatur, si nemo sua sponte *γέρας* acceptum reddat, se ipsum sibi aliquod erepturum, quantumvis quem adeat iraturus sit. Ut ostendat se illud perficere posse, ad vim superiorem et ad maiestatem regiam provocat, Il. I, 185 sq. Quod consilium tametsi Nestor maxime reprehendat, Il. I, 275. 276. tamen non abiicit Agamemnon, sed Achilli invito violenter adimit Briseidem, *βίῃ ἀέκοντος* vs. 430. Talem agendi rationem *ὕβριν* Achilles dicit vs. 203. coll. 214. atque Agamemnona ipsum apellat *βασιλῆα ἀπήνην* vs. 340. qui male *ἤπια εἰδείη* XVI, 73. totumque facinus *ἄτης* nomine significat, Il. I, 412. coll. IX, 277. Iniuriam autem prae reliquis Graecis sibi illatam tanto gravius fert, quanto magis de rege meritus fuerit. Neutiquam enim se cum Myrmidonibus propter Troianos, qui non *αἴτιοι* ipsi fuissent, sed Agamemnonis gratia, *τιμὴν ἀρνύμενοι Μενελάῳ*, Il. I, 158. 159. expeditionem Troianam suscepisse. Praeterea, licet res plurimas et gravissimas bene gessisset, se parvo dono, *ὀλίγῳ τε φίλῳ τε*, semper contentum fuisse, quum Agamemnon plerumque ad naves remanens maximam praedae partem ubique sibi sumpsisset, Il. I, 161 sq. IX, 325 sq. Ita plerumque actum esse, ut:

ἴση μοῖρα μένοντι καὶ εἰ μάλα τις πολεμίζοι
ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακός, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

Sic se nusquam gratiam pro meritis iustam nactum fuisse, Il. IX, 318 sq. Denique Agamemnonem accusat, quod honorem sibi debitum imminuisset, quum ἄριστον Ἀχαιῶν, Il. I, 412 tractasset ὡσεί τιν' ἀτίμητον μετανάστην Il. XVI, 59 coll. I, 356 id, quod Nestor etiam affirmat Agamemnoni dicens:

ἄνδρα φέριστον, ὃν ἀθανατοί περ ἔτισαν
ἠτίμησας· ἑλὼν γὰρ ἔχεις γέρας,

Il. IX, 110. 111. Quamvis summa omnium ob illud facinus indignatio et summum Achillis acerrime laesi odium fuisset, rex talia non curabat; pervicax manet in iniusta sua ratione, donec in summa discrimina rerum detrusus, non par erat resistere iteratis principum monitis gravissimis, ut γέρας ademptum redderet atque insuper δώροισίν τ' ἀγανοῖσιν, ἔπεσσί τε μειλιχίοισιν, Il. IX, 113, Achillis animum placandum curaret, ἀρέσας Il. IX, 120 coll. Od. XXII, 55 sq. Iam quidem animorum reconciliatione facta Ulysses epulas in gratiam Achillis instruere iubet, causa allata: ἵνα μήτι δίκης ἐπιδευὲς ἔχῃσθα, Il. XIX, 180. Praeterea Agamemnoni haec praecipit:

Ἀτρείδη, σύ δ' ἔπειτα δικαιότερος καὶ ἐπ' ἄλλῳ
ἔσσεαι· οὐ μὲν γάρ τι νεμεσσητόν, βασιλῆα
ἄνδρ' ἀπαρέσσασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Cui Agamemnon laetus:

ἐν μοίρῃ γὰρ πάντα διΐκεο καὶ κατέλεξας.

cf. Il. XIX, 181 sq.

Quantumvis vero illa acerbe ab Agamemnone in Achillem perpetrata essent, nihilominus ratio qua Achilles iniuriam illatam moleste ferebat, ab omni opprobrio non libera mansit, immo potius in magnam culpam incidit Achilles propter summam pervicaciam atque insolentiam, eamque ob causam a suis acerrime vituperatus est. Primum enim in altercatione inhonesta cum rege sceptrigero versabatur, quam Nestor ei exprobrat his verbis:

μήτε σὺ, Πηλείδη, ἔθελ' ἐριζέμεναι βασιλῆϊ
ἀντιβίην· ἐπεὶ οὔποθ' ὁμοίης ἔμμορε τιμῆς
σκηπτοῦχος βασιλεύς, ᾧτε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν,
εἰ δὲ σὺ κάρτερός ἐσσι, θεὰ δέ σε γείνατο μήτηρ,
ἀλλ' ὅγε φέρτερός ἐστιν, ἐπεὶ πλεόνεσσιν ἀνάσσει.

Il. 1, 277 sq. Deinde in eo peccavit, quod iram et odium in Agamemnonem coercere nolebat, quamvis ille etiam atque

etiam se pronum ostendisset, ut lubenter in gratiam cum eo rediturus iniuriamque illatam large compensaturus esset. Denique accusatur, quod animi pervicacia cohortationes sodalium gravissimas precesque iteratas repudiasset. Huc referas egregia Phoenicis amici monita:

ἀλλ', Ἀχιλεῦ, δάμασον θυμὸν μέγαν· οὐδέ τί σε χρὴ
νηλεὲς ἦτορ ἔχειν· στρεπτοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί,
τῶν περ καὶ μείζων ἀρετή, τίμη τε βίη τε.

Il. IX, 496 sq. Quibuscum Aiax consentiens IX, 628 sq. insuper monet, ut memor esset Achilles, quid sociis deberet:

σὺ δ' ἵλαον ἔνθεο θυμόν,
αἴδεσσαι δὲ μέλαθρον· ὑπωρόφιοι δέ τοι εἰμὲν
πλήθυος ἐκ Δαναῶν, μέμαμεν δέ τοι ἔξοχον ἄλλων
κήδιστοί τ' ἔμεναι καὶ φίλτατοι, ὅσσοι Ἀχαιοί.

ib. vs. 649 sq. Quum vero nihilominus Achaeorum legationem infecta re remisisset, Nestor eum ἀγήνορα appellat, Il. IX, 699. De vocis huius sensu malo cf. Od. I, 106, 144, II, 235, Il. II, 276. Gravius etiam Patroclus eum accusat αἰναρέτην eum nominans, Il. XVI, 31 et νηλεά ib. 33, quem omnes posteri reprehensuri essent, propterea quod gravissimam miseriam ab Achivis non removisset, et νόον eius dicit ἀπηνήν, ibid. 35. Cum quo iudicio conferendum est, quod Aiax Achilli dixerat, Il. IX, 636. 637.

σοὶ δ' ἄλληκτόν τε κακόν τε
θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι θεοὶ θέσαν.

Quae exprobrationes propterea augebantur, quod in pernicioso Troianorum impetu non solum ipse otiosus permaneret, sed etiam sodales invitos, ἀέκοντας, Il. XVI, 204, ne sociis auxilium ferre suamque ipsorum salutem curare possent, ad naves retineret. Quo factum est, ut simultas cum solo Agamemnone immoderate continuata militibus, ad quos iniuria non pertineret, summam perniciem pararet. Tanta igitur quum Achillis esset pervicacia, non nisi gravissimo motu, quo Patrocli exitium amici animum concutiebat, fieri poterat ut ferox herois mens frangeretur et ad perversitatis conscientiam redigeretur. In ea mentis conditione contumaciam, in qua perseveraverat, maxime quidem improbat, sed non propterea quod litis et rixae turpitudinem satis cognovisset, nam etiamnunc irae indulgendi dulcedine captus est, sed quod horren-

dus et improvisus simultatis eventus ob oculos ei versabatur et amici ulsciscendi fervor iracundiam in Agamemnonem superaverat. Ea mente haec dicit memoratu digna:

ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν, ἔκ τ᾽ ἀνθρώπων ἀπόλοιτο,
καὶ χόλος, ὅστ᾽ ἐφέηκε πολύφρονά περ χαλεπῆναι·
ὅς τε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο
ἀνδρῶν ἐν στήθεσσιν ἀέξεται, ἠΰτε καπνός·
ὡς ἐμὲ νῦν ἐχόλωσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων,
ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ,
θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι φίλον δαμάσαντες ἀνάγκῃ.

Il. XVIII, 107 sq. Postea quum animus magis placatus esset, Agamemnonem sic alloquitur:

νῦν δ᾽ ἤτοι μὲν ἐγὼ πάυω χόλον· οὐδὲ τί με χρὴ
ἀσκελέως αἰεὶ μενεαινέμεν

Il. XIX, 67. 68. quibus verbis iram intemperatam diserte reprobat.

Quod modo exposuimus exemplum non ita comparatum est, ut latuisset vel in dubitationem venire potuisset, qui iniuste et inique egissent et qua ratione; deerant tantum iudices satis pollentes, qui principes litigantes et iusti et aequi limites migrantes intra fines τῇ δίκῃ constitutos coercerent. Si vero lis de eo, quid alter alteri debeat, ac dubitatio, utra pars in iusta causa versetur, exorta est, iudicis est recta via et cuiusvis generis ambagibus, quibus res de qua igitur fraudulenter circumveniatur remotis, controversiam dirimere. Eo sensu Il. XVIII, 508 iudex dicitur *δίκην ἰθύντατα εἰπεῖν*, cui rectae ac sincerae iudicandi ratione *σκολιαὶ θέμισται* Il. XVI, 387 opponuntur. Quae cum ita se habeant, vox *δίκη* normam indicat, cui litigantes sese submittere debeant atque in specie iuris notionem exprimit Il. XVI, 388. Sed quum etiam sentiendi agendique ratio, quae iuris ac iusti normam sequatur, voce *δίκης* significetur, una etiam iustitiae notio ea involvitur, Od. XIV, 84. Cui significationi cognatae respondent voces *εὐδικία* Od. XIX, 111 et *εὐνομίη* Od. XVI, 478. Plurali vero numero *δίκαι* et iuris decreta, Il. XVI, 542. Od. III, 244. IX, 215, et causae ipsae significantur. Cf. Od. XI, 570 et Nitschium ad. h. l. Attamen altera significatio posteriore demum tempore magis in usum venit.

Iam ut accuratius videamus, quae sit *τοῦ δικαίου* ratio in disceptationibus, ubi de iure alicui concedendo quaeritur, nitida exstat narratio litis de praemio certaminis impetrando Antilochum inter et Menelaum exortae Il. XXIII, 566 sq.

Ad Patrocli nempe funus magnifice celebrandum Achilles certamina instituerat promittens, se praemia in medio posita victoribus, ut quemque deceret, *ὡς ἐπιεικές*, Il. XXIII, 537, tributurum esse. Primum praemium Diomedes accepit, qui primus curru ad metam venerat, alterum Eumelus, non quidem quod secundus advenisset, sed quod casu quodam infausto remansisset, revera autem *ἀνὴρ ὤριστος* esset. vs. 536. Quod licet omnes Achaei probarent, *ἐπῄνεον* vs, 529, Antilochus contra surrexit, *δίκῃ ἠμείψατ᾽ ἀναστάς*, praemium sibi, qui et ipse nobilis sit, *αὐτός τε ἐσθλὸς ἐὼν* 546, poscens, nec Eumelo, qui quum deos, ut propitii essent, ante non implorasset, in culpa versaretur, id concedens (*οὐ δώσω* vs. 553). Ceterum si Achilles Eumelum praemio ornare vellet, e largis suis opibus aliquod donum eligere deberet, se ipsum vero nunquam quod sibi conveniret, dimissurum esse, adeoque quemcunque, *ὅς κ᾽ ἐθέλῃσιν*, ad pugnam se provocare, *χείρεσσι μάχεσθαι* 554. Iam surgit Menelaus ira graviter commotus Antilochum accusans his:

ᾔσχυνας μὲν ἐμὴν ἀρετήν, βλάψας δέ μοι ἵππους,
τοὺς σοὺς πρόσθε βαλών, οἵ τοι πολὺ χείρονες ἦσαν.

Il. XXIII, 571. 572. praemiumque ab adversario reportatum sibi deberi affirmat. Ne vero rex iudex simul et accusator, qui una ius dicat et petat, iniustas partes agere videatur, nec dicat quispiam:

Ἀντίλοχον ψεύδεσσι βιησάμενος Μενέλαος
οἴχεται ἵππον ἄγων,

ib. 576. 577: Achaeorum *ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες* excitat arbitros eosque monet, ut sine partium studio sententiam ferant. Semet ipsum momentum ad diiudicationem allaturum esse, *δικάσω* vs. 579 ac sperare, fore ut a nemine vituperetur, via enim recta causam se esse acturum, *ἰθεῖα γὰρ ἔσται* sc. *δίκη* vs. 580. Hoc enim agi, num *δικαίως* an *δόλῳ* Antilochus praetervectus sit, neque artificiis ex pacto illicitis cf. vs. 322 sq. Idcirco Antilochum iureiurando interposito affir-

mare iubet, se nullis fraudibus consulto adhibitis victoriam reportasse, vs. 585:

μὴ μὲν ἑκὼν τὸ ἐμὸν δόλῳ ἅρμα πεδῆσαι,

Iam Antilochus sacramenti gravitate percussus ac metuens, ne in deos evadat peccator, *ἀλιτρός*, vs. 595, iniuriam ex iuventutis intemperantia commissam aperte confitetur, nec solum Menelao praemium concedit simul veniam ab eo petens, utpote iunior a seniore ac rege venerando, verum etiam donum insuper Menelao promittit, ut iniuriam illatam omni ex parte redimat et cum Menelao in gratiam redeat. Cui rex, quum eius animus illis verbis recreatus esset, *θυμὸς ἰάνθη* 597, sicut segetes rore matutino, haec respondet 602 sqq.:

Ἀντίλοχε, νῦν μέν τοι ἐγὼν ὑποείξομαι αὐτός,
χωόμενος· ἐπεὶ οὔτι παρήορος, οὐδ᾽ ἀεσίφρων
ἦσθα πάρος· νῦν αὖτε νόον νίκησε νεοίη.
δεύτερον αὖτ᾽ ἀλέασθαι ἀμείνονας ἠπεροπεύειν.
οὐ γάρ κέν με τάχ᾽ ἄλλος ἀνὴρ παρέπεισεν Ἀχαιῶν·
ἀλλὰ σὺ γὰρ δὴ πόλλ᾽ ἔπαθες καὶ πόλλ᾽ ἐμόγησας,
σός τε πατὴρ ἀγαθὸς καὶ ἀδελφεὸς, εἵνεκ᾽ ἐμεῖο
τῷ τοι λισσομένῳ ἐπιπείσομαι, ἠδὲ καὶ ἵππον
δώσω, ἐμήν περ ἐοῦσαν· ἵνα γνώωσι καὶ οἵδε,
ὡς ἐμὸς οὔποτε θυμὸς ὑπερφίαλος καὶ ἀπηνής.

Hinc patet in iuris controversiis esse *τοῦ δικαίου*, quum argumentis devictus sit, sponte ius arrogatum dimittere atque insuper, si quem forte laeserit, ei satis facere. Cui agendi rationi certa subest persuasio, iustum absolute esse reverendum, nec ullo modo licere ei adversari. Id quod etiam unius e procorum numero verba declarant, Od. XVIII, 414. 415:

Ὦ φίλοι, οὐκ ἂν δή τις ἐπὶ ῥηθέντι δικαίῳ
ἀντιβίοις ἐπέεσσι καθαπτόμενος χαλεπαίνοι.

Praeterea ex exemplo antea allato apparet, non solum violentiam iusto esse contrariam, verum etiam *δόλον*, artificiosam nempe et clandestinam agendi rationem, qua fraude alter alteri quod ei debeat subtrahere studet. Ad turpem illam sentiendi agendique rationem significandam vox *δολόμητις* usurpatur Od. XI, 422. Tametsi enim astutia et callidae machinationes, *δόλοι* et *κέρδεα*, in homines infestos vel dubiae fidei ad propriam salutem obtinendam adhibitae magnam prudentiae et solertiae laudem afferunt, siquidem poeta Ulyssis

astutiam non sine voluptate laetissimis coloribus depingit: tamen iniuriae et maleficia fraudulenter ac callide illata magis respuuntur, quam quae violentia ac feroci animo perpetrata sunt. Quanto pluris enim candor animi et ingenuitas ac fides aestimabantur, tanto acerbiore odio omnes contrarium persequebantur. Ea mente poeta Achillem dicentem facit Il. IX, 312. 313:

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Ipsi etiam Ulyssi pari modo invisus est, *ὃς πενίῃ εἴκων ἀπατήλια βάζει*, Od. XIV, 157. — Denique observandum est, quomodo aequi notio sub *δικαίου* nomine lateat. Quum enim *ὁ δίκαιος* ab omni partium studio alienus esse debeat, id quod Menelaus expressit verbis supra laudatis: *ἐς μέσον ἀμφοτέροισι δικάσσετε, μηδ᾽ ἐπ᾽ ἀρωγῇ*, aequi ratio postulat, ut ubi inter plures de eo quod singulis competat disceptetur, id secundum unius cuiusque meritum ac dignitatem, *ὡς ἐπιεικές*, Il. XXIII, 537. constituatur. Ubi vero merita paria sunt, in conferendo iure *τοῦ ἴσου* notio occurrit ad iusti rationem accuratius definiendam. cf. Il. XI, 705. *) Luculentissimam omnis impudentiae, superbiae, violentiae, fraudis et malignitatis imaginem in procorum agendi ratione descriptam habemus, quorum *ἀεικέα ἔργα* haec fere sunt.

Primum sine verecundia uxorem principis, cuius de obitu nihil certi habebant, sed quem propter irritam reditus exspectationem tantummodo coniicere poterant, Od. XXII, 38, sibi deposcunt moribus et iustae petendi rationi adversantes, Od. XIV, 90 coll. XVIII, 276 sq. Itaque Penelopen invitam ad nuptias cogere student nihil curantes, quanta annuendo hominum vicinorum opprobria, qui *σχετλίην* eam nominaturi essent, in se conferret, Od. XXIII, 150. In domo aliena insolenter se gerunt omni pudore destituti, Od. XX, 170 sq.; ancillis vim inferunt, Od. XX, 319 coll. XVI, 180 sq. Od. XXII, 37 **), aedes privatas

*) Memoria dignum videtur, apud Aegyptios in litteris hieroglyphicis iustitiae notionem sub imagine pennae e cauda pavonis repraesentari. cf. Champollionium Vol. I. p. 25.

**) In rebus Venereis nonnisi suada admissa iuste agi, e contubernio apparet, in quo iam antiquitus *Πειθὼ* cum Venere reperitur. cf. Paus. I, 22. 3. Pind. frgm. 87. Schol. ad Hesiod. op. 73, *Σαπφὼ δέ φησι, τὴν*

in publicas convertunt, Od. XX, 204 quo quemque virum honestum, qui talia forte videat, offendunt. Porro principis absentis rem familiarem turpiter consumunt, Od. XIII, 306, renitente Telemacho Od. II, 63, qui quum solus et admodum iuvenis sit, nihil pollet contra multitudinem procorum Od. XX, 311 sq. In universum violenter se gerunt, Od. I, 403, id quod *χαλεπὸν* dicitur, Od. XVIII, 228 sq., et immemores poenae divinae nulla misericordia moventur, *οὐκ ὄπιδα φρονέοντες ἐνὶ φρεσὶν οὐδ' ἐλεητύν*, Od. XIV, 82. Damnum ut resarciant, ne in mentem quidem iis venit, sed affirmant, *χρήματα δ' αὖτε κακῶς βεβρώσεται, οὐδέ ποτ' ἶσα ἔσσεται*, Od. II, 203, fieri hoc *μαψ αὔτως, ἀτέλεστον, ἀνηνύστῳ ἐπὶ ἔργῳ*, Od. XVI, 111. Praeterea iuri hospitii illudunt, Telemachi *ξείνους στυφελιζόμενοι*, Od. XVI, 108, iisque insidias parantes Od. XX, 292 sq. Denique ut scelera ad summum fastigium perducant, maligni, *δυςμενέοντες* Od. XX, 314, *δεινὸν* aliquid moliuntur Telemacho e gente regia nato necem paraturi, Od. XVI, 401, et maleficio atrocissimo beneficia compensaturi ib. 418 sq.

Quae malefacta fieri non potuit quin poena luerent. Homerus etiam secundum ideam aequi *τῇ δίκῃ* involutam malefactorum poenam desiderat. Quam ob causam ratio rerum poscit, ut narrationi tunc demum finis, in quo acquiescere possit, imponatur, postquam proci ipsius Ulyssis manu *ἄντιτα ἔργα* acceperunt, Od. XVII, 60. Quod ad talionis rationem attinet, modus quidem notione *τοῦ ἴσου* constituitur Od. II, 203, tamen hominum, qui malum perpessi sunt, arbitrio plerumque relinquitur, Od. XXII, 55 sq., ita ut ultionis gravitas ab acerbitate doloris et ab irae vehementia maxime pendeat. Itaque hominibus posterioris aetatis relictum erat, ut moribus et legibus constituerent, quibus finibus ultio, ne modum ae-

Πειθὼ Ἀφροδίτης θυγατέρα fragm. 133. Bergk. Quid in rebus amatoriis iustum et honestum sit, docet Sappho frgm. 32. et fragm. I, vs. 20. Alcman fragm. 46 Bergk. *Εὐνομίαν* et *Πειθὼ* genealogica ratione ut sorores describit. Plut. de fort. Rom. c. 4. A posterioribus *Πειθὼ* inter Charites numerabatur. Paus. IX, 35, 5. Orph. hymn. IX, 13. Apud Herod. VIII, 111. *Πειθώ τε καὶ Ἀναγκαίη* ut magnae deae commemorantur, cf. Baehr ad. h. l. Euripides in Hecuba 816 *Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην* dicit, cf. Iahnii libellum: Peitho, die Göttin der Ueberredung p. 4 sq.

qui excederet, circumscribenda esset.*) Attamen poeta cavet, ne ultionem Ulyssis coeco animi impetui relinquat, sed diserte affirmat, regem bene exploratum habuisse, *οἵτινές εἰσιν ἐναίσιμοι, οἵ τ' ἀθέμιστοι*, Od. XVII, 363, et innocentibus pepercisse. Praeterea finem, quem Ulysses ultionem sumens in mente habuerit, honestum affert hunc, ut palam faciat:

ὡς κακοεργεσίης εὐεργεσίη μέγ' ἀμείνων

Od. XXII, 374. Ulyssis igitur pugna contra procos mortifera non ut ultio ferox et arbitraria describitur, sed quum Minerva ipsa ultori auxilium ferat, procorum exitium ut poena maleficiorum a diis missa, *μοῖρα θεῶν* Od. XXII, 413 apparet. In quo ut res omnis acquiescat, neve procorum consanguinei ultionem ab Ulysse sumere parantes denuo sanguinem fundant, quo facto nova culpa exstitura et infinita calamitatum series ortura erat, postremae rhapsodiae auctor Minervam iterum agentem introduxit, ut iratos animos placaret omneque dissidium componeret. Quo vero modo in civitate bene morata ac bonis legibus et institutis temperata veteri illi consuetudini, qua consanguinei sanguinem suorum fusum ipsi ulciscebantur, diis non intercedentibus finis imponatur aptus et honestus, ab Aeschylo demum in Eumenidibus explicatur.

Iam si e procorum descriptione maxime apparet iniuste agendi rationem in negligendo decoro ex sententia poetae non subsistere, sed exordium tantum inde sumere et deinde per plures male factorum gradus usque ad malignitatem turpissimam facinoraque atrocissima procedere: facile suspicabimur, *τοῦ ἀδίκου* nomen ad omnes illas agendi rationes significandas poetae non sufficere. Imo quo magis perniciosa sunt, quae e iure quodam laeso sequuntur, quo proter-

*) Ut de posteriorum sentiendi ratione exemplum afferamus, conferas Herodotum, qni misera Troianorum sorte patefactum esse dicit, *ὡς τῶν μεγάλων ἀδικημάτων εἰσὶ καὶ τιμωρίαι παρὰ τῶν θεῶν* II, 120. Nimias vero hominum *τιμωρίας* deos ira persequi affirmat, IV, 205 *νόμῳ δικαίῳ* utentes VIII, 106. Poetas autem tragicos culpam iniqua ultione exortam adhibere ad nexum actionis tragicae, quae in fabulis habetur, arctius constringendum inter viros doctos satis constat. Conferas, quae tam eleganter quam docte nuperrime explicavit Schoemannus de varia culpae ratione, qua homines in Aeschyli Orestia agentes implicati a poeta depingantur in libro: Des Aeschylus Eumeniden, introd.

vius quis se gerit, quo detestabilius est scelus, quo magis inauditum denique et scelestum ac nefarium facinus praesertim in eos, qui summa verecundia colendi sunt, commissum: eo graviore poeta uti solet voce cum ad singularem eiusmodi facinoris animique scelesti indolem significandam, tum ad sensus humani affectionem e compertis illis sceleribus oriundam accuratius exprimendam. Itaque Penelope Antinoum Telemacho insidias parantem alloquitur *κακομήχανε*, Od. XVI, 418, *μάργε*, ib. 421, eiusque susceptum *δεινόν* dicitur, ib. 421. Patroclus Achillem nominat *αἰναρέτην*, cf. supra p. 15, ubi plura eiusmodi cognomina commemorata sunt. Agamemnon apud inferos uxorem appellat *οὐλομένην ἄλοχον*, Od. XI, 40, *ἔξοχα λύγρ᾽ εἰδυῖαν*, ib. 432, et affirmat,

ὡς οὐκ αἰνότερον καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός,
ἥτις δὴ τοιαῦτα μετὰ φρεσὶν ἔργα βάληται.

ib. 427. 428. Saepe adeo singularis vox ad inauditum aliquod scelus accuratius significandum deesse videbatur, quapropter vox *σχέτλιος*, Od. XXII, 15. sensu malo haud raro usurpatur. De Oedipi autem matre poeta dicit:

ἣ μέγα ἔργον ἔρεξεν ἀϊδρείῃσι νόοιο.

Qua mente etiam Eupeithes senex caedem omnium procorum ab Ulysse factam *μέγα ἔργον* appellat, Od. XXIV, 426.

Summam vero verecundiam ex sententia Homeri diis deberi constat. Adversari igitur numini ac sese efferre ultra fines hominibus praescriptos summum nefas putabatur et insolentiae ac perversitatis animi fastigium. Quam pravam agendi sentiendique rationem significaturus gravius *τοῦ ἀθεμιστίου* nomen plerumque adhibuit. *Ἀθεμίστιος* autem, vel sicut Od. XX, 28. habetur, *ἀθεμίστια εἰδώς*, is est, Od. XVIII, 130 sq., qui immemor pendentis a deorum voluntate fortunae vicissitudinis atque sortis humanae, indigentiae siquidem *πάντες δὲ θεῶν χατέουσ᾽ ἄνθρωποι*, Od. III, 48. deos non curans *βίῃ καὶ κράτεϊ εἴκων* multa *ἀτάσθαλα* perficit. Quorum *ὑπερφιάλων* *) qui saepissime dicuntur rationem optime reddunt Polyphemi verba, Od. IX, 275 sq.

*) Vox *ὑπερφίαλος* proprie significat eum, qui modum solitum egreditur, nec per se opprobrium involvit; cf. Od. IV, 663. XVI, 346. ubi unus e procis propter faustum Telemachi iuvenis a magno itinere reditum obstupefactus exclamat:

Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
οὐδὲ θεῶν μακάρων· ἐπειὴ πολὺ φέρτεροί εἰμεν,
οὐδ᾽ ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην
οὔτε σεῦ, οὔθ᾽ ἑτάρων, εἰ μὴ θυμός με κελεύει.

E simili etiam deorum negligentia procis improbis gravissimum opprobrium natum est, Od. XXII, 35 sq. ib. 215. II, 284. Itaque nihil omnino apud eos effecit Telemachi monitum, Od. II, 64 sq.

νεμεσσήθητε καὶ αὐτοί,
ἄλλους τ᾽ αἰδέσθητε περικτίονας ἀνθρώπους,
οἳ περιναιετάουσι· θεῶν δ᾽ ὑποδείσατε μῆνιν,
μή τι μεταστρέψωσιν, ἀγασσάμενοι κακὰ ἔργα.

His verbis quaecunque *ἀνδρὶ δικαίῳ* secundum Homerum maxime observanda sunt gradatione quadam continentur. Quod primum mandatur, ut pudorem sui habeant homines et sensum insitum de decoro, iusto et aequo sequantur; deinde ut vereantur hominum vicinorum et aequalium de honesto sententias, id hactenus satis copiose explicasse nobis videmur, ita ut nihil amplius addendum sit, nisi fere hoc, honorem et apud aequales et apud posteros hominibus ab Homero depictis in universum admodum cordi fuisse.

Restat igitur, ut tertiam eamque gravissimam rationem, quam deorum habere homines debent accuratius perlustremus. Ad eam significandam voces quidem *αἰδώς* et *αἴδεσθαι* et quas supra enumeravimus aliae adhibentur, imprimis tamen voces *σέβας*, *σέβεσθαι*, *δέος*, *δείδειν* usurpantur. Singula

ὦ πόποι! ἦ μέγα ἔργον ὑπερφιάλως ἐτελέσθη.

Praeterea proci ipsi, utpote qui superiores et domini in aedibus Ulyssis sint, *ὑπερφιάλους* se appellant, Od. XXI, 289. Simili etiam sensu Troiani semet ipsos ita nominant, Il. III, 166. XIII, 621. XXI, 224. Itaque vox illa tum demum vituperium involvit, si modus, quem quis transgressus est, honesti et decori eiusque quod ius et fas est fines describit. Eo sensu de nimia indignatione, quae modum aequi superat, *ὑπερφιάλως νεμεσᾶν* dicitur, Il. XIII, 293. cf. etiam Od. XVII, 481. XXI, 285. Il. XVIII, 300. Hinc facile apparet, cur animus insolens et superbus *θυμὸς ὑπερφίαλος*, Il. XV, 94. XXIII, 611. et superbe enunciatum aliquod *ἔπος ὑπερφίαλον*, *μῦθος ὑπερφίαλος*, Od. IV, 503. 774 dicatur. Quatenus autem homines superbi et insolentes *ἀθεμίστιοι* dicantur, ut Od. IX, 106. Nitzschius docet in comment. ad Odyss. Vol. I. p. 397. cf. Buttmann Lexilog. 2, 209 sq., Pape Lex. s. h. v.

autem officia erga deos observanda vel aliis hominibus deorum iussu praestanda *τῆς θέμιστος* notione potissimum significantur. Cavendum tamen est, ne quis inde concludat, *τῆς δίκης* et *θέμιστος* notiones ita discernendas esse, ut altera non significet nisi quod e genuinis hominum de honesto et iusto iudiciis fieri debeat, altera vero id tantum quod secundum religionem et ex institutis sacris ius et fas sit complectatur, ita ut altera notio alteram ex ambitu suo excludat. Quod si quis contenderet, nimis inconsiderate ageret. Nam qui utriusque notionis usum apud Homerum aliquantulum perspexerit, satis intelliget, notionis *θέμις* ambitum magna ex parte in eum, quem *δίκη* circumscribit, ingredi, ita ut revera utraque notio haud raro commutetur aut confundatur. Quae ratio iam a Nitzschio in commentario ad Odysseam Vol. I, p. 144 notata hic accuratius explicanda videtur.

Primum igitur si conferantur Il. IX, 134. 216. ubi dicitur de consuetudine cum femina coniugali: *ἣ θέμις πέλει*, patet, vocem *θέμις* a significatione primaria eius, quod a diis institutum vel propositum est, ad secundariam et leviorem eius, quod usus rerumque ratio secum fert, translatam esse. Quae significatio cum ea, quam voci *δίκη* inesse vidimus, fere congruit, hoc tamen discrimine, ut *δίκη* etiam ad significandas consuetudines inhonestas adhibeatur, quum in *θέμιστος* notione, nota saltem eius, quod permissum et licitum est, remaneat. Quod maxime apparet in verbis Od. XVI, 91 occurrentibus, *ἐπεί θήν μοι καὶ ἀμείψασθαι θέμις ἐστίν*. Praeterea diserte decori, honesti et iusti continet significationem, ut Od. XIV, 130. ubi de Penelope mariti sortem complorante cum gravitate dicitur *ἣ θέμις ἐστὶ γυναικός*, ut ius et fas est mulieri; non *δίκη*, quo verbo poeta in ambiguo relinqueret, utrum morem tantum et usum, an officium significare vellet. Huc etiam referendus est locus Od. XI, 451 *ἣ θέμις ἐστί* regem primum in concione dicere. Quapropter mos solemnis illa locutione indicatur, Il. XXIV, 652. Porro veracitas erga hospites et peregrinos aliquid sciscitantes, quod ut celetur, iusta causa indigenis non adsit, *θέμις* vocatur, Od. III, 187. Adversa ratio vituperatur Od. XXIV, 261, ubi contra agens *οὔτι μάλ' ἀρτίφρων* nominatur. Denique Il. XXIII, 44 Achilles affirmat, *οὐ θέμις ἐστὶ λοετρὰ καρήατος ἆσσον ἱκέσθαι*,

non ius et fas esse calidas lavationes in caput venire, antequam funus honestum Patroclo paratum sit. Quae modo attuli exempla agendi rationes continent vel iam e mero hominum iudicio morali honestas et decoras habitas, vel ita comparatas, ut a religione ac pietate sanctionem quidem accipiant, non vero originem inde habeant. Revera autem permutatae videntur *δίκης* et *θέμιστος* notiones Il. XVI, 387, ubi sermo est de Iove tales homines puniente, qui violenter in foro perversa iudicant iura et iustitiam profligant:

οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι.

Magis vero utriusque notionis discrimen sublatum esse videmus Od. IX, 112 sq., ubi de Cyclopibus *τοῖσιν δ' οὔτ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες* narratur: *θεμιστεύει δὲ ἕκαστος*, quum potius *δικάζει ἕκαστος* exspectandum esset. Contra Minoem apud inferos iudicis munere fungentem recte dicit poeta *θεμιστεύοντα νέκυσσιν* Od. XI, 569. Proprium vero locum ac vim genuinam notio *θέμιστος* obtinet ubi ritus, officia et iura commemorantur, quae diserte a diis mandata habentur. Ita vox usurpatur de libatione, Od. III, 45, de iure iurando, Il. XXIII, 581, de regum vel principum decretis forensibus ac sententiis iudicialibus, si quidem illi potestatem et dignitatem ab ipso Iove acceperint, Il. I, 283. IX, 99. *Θέμιστι* deae munus tribuitur conciones publicas moderandi *), Od. II, 68. 69. et Il. XI, 807, locus quidam vel legibus ferendis vel iuri dicundo, id quod in ambiguo relinquitur, sub *θέμιστος* nomine iuxta *ἀγορὰν* commemoratur. Denique *θέμιστες* nominantur officia regi ab iis, qui eius imperio subiecti sunt, debita, cf. Il. IX, 156 et 298, ubi tributa Hymn. in Cererem vs. 270 *ἐναίσιμα δῶρα* dicta subintelliguntur. Imprimis autem de iure hospitum vox *θέμις* usurpatur, Od. IX, 268. Il. XI, 779, atque in universum de officiis in egenos et supplices, quorum praesidium et auxilium apud Iovem esse putabatur, Od. XIV, 57. IX, 268. 270. 271. VII, 165. 315. Quapropter quum reverentia in deos maximeque in Iovem habita ius hospitum gravissime commendetur, Ulysses Polyphemum hortatur:

---

*) Quae partes a posterioribus poetis etiam *Δίκῃ* deae tribuebantur, cf. Aratum vs. 100—107 et Vossium ad h. l. Hesiod. Op. 259. 260.

ἀλλ' αἰδεῖο, φέριστε, θεούς, ἱκέται δέ τοί εἰμεν,

Od. IX, 269. Una vero hospitalitas ut decora agendi ratio laudatur Od. XXIV, 273, ubi decere affirmatur dona hospitalia dare, quorum remuneratio occasione oblata *θέμις* vocatur, ib. 286. Contraria ratio neque pulcra nec iusta dicitur Od. XXI, 312. 313.

οὐ μέν καλὸν ἀτέμβειν, οὐδὲ δίκαιον
ξείνους Τηλεμάχου·

id quod ipse Ctesippus, unus e procorum numero, agnoscit, qui alioquin patris opulentia fretus ut homo *ἀθεμίστια εἰδώς* describitur, Od. XX, 287. Quam arcte autem quae e iudicio morali honesta et decora censentur cum iis cohaereant, quae e religione ius et fas habentur, e singulis exemplis optime apparet. Ita Od. XIX, 109 *βασιλεὺς ἀμύμων* describitur, qui dei memor, *θεουδής*, iustitiam sustentet, *εὐδικίας ἀνέχησι*; Od. VI, 121 *νοός θεουδὴς* homini bene morato inesse dicitur, et alibi temperantia ac clementia in alios *τοῦ ὁσίου* nomine commendatur, Od. XVI, 423: *οὐ δ' ὁσίη κακὰ ῥάπτειν ἀλλήλοισιν* et Od. XXII, 412 *οὐχ ὁσίη, κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.*

Quibus exemplis allatis quum ratio quam Homerus inter ea quae moribus et conscientia morali commendentur, et quae a religione proficiscantur admittit, nondum satis perspicua videatur, accuratius ea sequentibus describatur necesse est. Ut paucis dicamus, religionis munus hic habemus supplendi et adiuvandi in eo primum conspicuum, ut quae et hominum sensu morali iam per se aut decora aut indecora habentur, deorum iussu confirmentur eorumque voluntate sustententur. Ea mente Od. XIV, 83. 84. dicitur:

οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν
ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.

Quomodo *νέμεσιν* exerceant, accuratius explicat Naegelsbachius in libro: Homerische Theologie p. 31. cui addas, quae Nitzschius disputat de poenis propter varia *ὕβρεως* genera apud inferos institutis, cf. comment. ad Odyss. Vol. III. pag. 130 sq.

Deinde religio valet in augenda et amplificanda iuris provincia. Etenim, quae sensus humani iam ut honesta quidem suadent, sicut officia peregrinis et supplicibus praestanda, non ubique satis observarentur, nisi certiore deorum

voluntate commendata putarentur, eoque iuris sacri et dignitatem et auctoritatem obtinuissent. Praeterea quum pacta et foedera inter gentes alienigenas et sibi infestas deorum demum praesidio interposito satis firma et fida haberentur, cf. Il. III, 299 sq. et Naegelsbach. l. l. p. 161. iuris quod dicitur gentium in religione cernimus confirmationem. Quamvis illud apud Homerum satis imperfectum et mancum reperitur, singulis tamen iam lineamentis adumbratum exstat, cf. Naegelsb. p. 252 sq. Wachsmuth: de iure gentium quale obtinuerit apud Graecos ante bellor. cum Persis gestor. initium p. 1 sq. Ab initio enim officia *τῇ δίκῃ* praescripta inter amicos et socios maximeque inter homines et genere et unius eiusdemque civitatis societate coniunctos valuerunt. Quocirca moribus heroicis minime adversabatur pactionem cum hostibus et alienigenis sine iureiurando interposito factam ex arbitrio irritam habere, cf. narrationem de Dolone Il. X, 383 sq. coll. vs. 446 sq. Bellum autem inferre non solum barbaris, qui dicebantur, verum etiam gentilibus ac vicinis sine ulla causa cur ipsi *αἴτιοι* haberi possent, oblata, sed e mera pugnae cupidine ac fortunam periclitandi praedamque faciendi studio, nec illicitum nec inhonestum habebatur. *) Quid multa? singuli adeo dii eiusmodi expeditionum praedandi gratia susceptarum commemorantur tutores, exempli gratia Minerva, quae *ληῖτις* vocatur, Il. X, 460. Huc etiam nomen eius *ἀγελαία* referendum est, quamquam interpretes de vocis significatione etiam nunc in controversia versantur. De Iove praedam largiente cf. Od. XIV, 86. Attamen non prorsus deerat talia conantibus iniuste agendi conscientia, immo loco modo laudato piratae quidam *δυσμενέες καὶ ἀνάρσιοι* nominati ita describuntur, ut, quum domum redirent, magno metu propter poenam a Diis imminentem permoverentur,

*) Cf. Nitzsch. ad Od. I, vs. 397 et Thucyd. testimonium I, 5. *προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις ἥρπαζον, καὶ τὸν πλεῖστον τοῦ βίου ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο, οὐκ ἔχοντές πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον· δηλοῦσι δὲ τῶν τε ἠπειρωτῶν τινες ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν, καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν ποιητῶν τὰς πύστεις τῶν καταπλεόντων πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες εἰ λῃσταί εἰσιν, ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον, οἷς τ' ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι οὐκ ὀνειδιζόντων.*

cf. ib. vs. 88. Porro Ulysses ficta vitae actae narratione procis probaturus post superbe ac violenter perpetrata secundum fortunae vicissitudines magnas saepe aerumnas sequi, Amphinomum haec docet:

τῷ μήτις ποτὲ πάμπαν ἀνὴρ ἀθεμίστιος εἴη,
ἀλλ' ὅγε σιγῇ δῶρα θεῶν ἔχοι, ὅττι διδοῖεν.

Od. XVIII, 141. 142. Summo vero in odio versabantur rapinae clandestinae, Od. XI, 364 sq., qua de causa piratae, praesertim Phoenices cum detestatione commemorantur Od. XV, 415. XIV, 280 sq. Talia facinora Iovem supplicio persequi poeta docet ibid. vs. 300 sq.

Restat ut tertiam monstremus rationem, quae inter hominum conscientiam moralem et inter persuasionem religione suppeditatam intercedat. Nempe ubi intelligentia moralis non tam sufficiens hominibus videbatur, ut ducem illam in agendo secure sequi possent, praecepta religione commendata in auxilium vocabantur. Itaque in rebus dubiis atque ancipitibus ad deos se convertebant, quorum sensus et decreta vel e signis quibusdam vel ex oraculorum vatumque effatis comperiri studebant. Quae quidem consultationes tametsi ad successum potius quam ad indolem moralem alicuius incepti pertinerent, tamen eo etiam consilio fieri solebant, ut homines certam simul acciperent persuasionem perfici posse quae molirentur. Sin autem ad conatum, cuius de scelesta et nefaria indole nulla dubitatio esset, perficiendum Iovis decreta, *θέμιστες*, auscultabantur, ex eo quod poeta omne iudicium de impia illa agendi ratione omiserit, non licet concludere eam minus ab eo quam ab aliis, exempli gratia ab Herodoto *) reprobatam esse. Imo nemini nisi procis quos omnis

*) Herodotus enim narrat, Cumanos, quum oraculum adiissent, utrum Pactyam, qui in eorum tutelam se contulerat, Persis exposcentibus traderent nec ne, a deo irato responsum accepisse, ut eum traderent. Cuius mandati honestati adversantis hanc causam affert: *ἵνα γε ἀσεβήσαντες θᾶσσον ἀπόλησθε· ὡς μὴ τὸ λοιπὸν περὶ ἱκτῶν ἐκδόσιος ἔλθητε ἐπὶ τὸ χρηστήριον.* cf. Herod. I, 159. Similia Pythia Glauco sciscitanti, num pecunias iureiurando edito in depositum acceptas intervertere liceret, respondet:

Γλαῦκ' Ἐπικυδείδη, τὸ μὲν αὐτίκα κέρδον οὕτω
ὅρκῳ νικῆσαι, καὶ χρήματα λῃΐσσασθαι.

generis iniustitiae ac improbitatis reos descripserat, Od. XVI, 403. XX, 241 sq. talia tribuit. Contra oppositam agendi rationem, qua homo quid officium poscat certo perspectum habens non iam oracula et auspicia anxie curat, poeta in Hectore depingit, quem praeclara illa verba dicentem facit:

εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης·

Il. XII, 243. Huc etiam referenda sunt Automedontis bene cordati verba, quibus nimium auspicandi studium reprobat, Il. XVII, 514. 515.

ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται·
ἥσω γὰρ καὶ ἐγώ· τὰ δέ κεν Διῒ πάντα μελήσει.

Quae licet ita se habeant, fieri non potuit, quin accideret interdum, ut ea, quae hominum quidem iudicio honesta et decora viderentur, altiori tamen rationi, deorum nempe voluntatis habendae, cedere deberent. Quantis laudibus exempli gratia hospitalitas a poeta effertur ac commendatur, ut mos vere humanus ac pius, de quo Od. VIII, 546. 547. haec dicuntur:

ἀντὶ κασιγνήτου ξεῖνός θ' ἱκέτης τε τέτυκται
ἀνέρι, ὅστ' ὀλίγον περ ἐπιψαύῃ πραπίδεσσιν,

quibus addas et Eumaei sententiam, Od. XIV, 386, et narrationem de Diomedis cum Glauco hospite in campo Troiano concursu, Il. VI, 119 sq.: nihilominus exemplum profert Homerus, ubi hospitem iterum suscipere propter deos ultra fas habebatur. Aeolus enim rex Ulyssem secundis ventis dimissum, sed mox adversis ventis ad insulam ventorum reiectum a sedibus suis depellit causam afferens hanc:

οὐ γάρ μοι θέμις ἐστὶ κομιζέμεν οὐδ' ἀποπέμπειν
ἄνδρα τόν, ὅς κε θεοῖσιν ἀπέχθηται μακάρεσσιν.

Ὄμνυ· ἐπεὶ θάνατός γε καὶ εὔορκον μένει ἄνδρα.
Ἀλλ' Ὅρκου πάϊς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἐπὶ χεῖρες,
οὐδὲ πόδες· κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
συμμάρψας ὀλέσει γενεὴν, καὶ οἶκον ἅπαντα.
Ἀνδρος δ' εὐόρκου γενεὴ μετόπισθεν ἀμείνων.

Quibus auditis quum Glaucus a deo peteret, ut verbis editis ignosceret, Pythia respondisse dicitur: *τὸ πειρηθῆναι τοῦ θεοῦ, καὶ τὸ ποιῆσαι, ἴσον δύνασθαι.* Quam ob rem factum esse narratur, quamvis pecuniam reddidisset Glaucus, tamen nullam prolem nullumque focum ei restitisse, sed totam gentem e Sparta radicitus esse extinctam. cf. Herod. VI, 86.

Quae discrepantia eius, quod ex hominum sensibus decorum habetur, ab eo, quod e sententia deorum ius et fas est, per se considerata nihil offensionis habere videtur, quum perfectiori deorum naturae accuratior honesti et iusti scientia facile concedatur. Sin autem de deorum natura eorumque sentiendi agendique ratione talia tradebantur, quae superiori dignitati morali maxime repugnarent, si discordes inter se fingebantur, si invidia, odio, iracundia ac multis aliis vitiis inquinati repraesentabantur: nonne ipsi Homero multum in modum lubricum et periculosum videbatur, si quis temere aliquam agendi rationem ad leviores deorum quorundam mores provocando defendere conaretur? Quis est, qui hoc non intelligat? Idcirco operae pretium est explicare, quem exitum sibi poeta ex illis angustiis paraverit.

Varias de diis fabulas, quas e diversarum gentium traditionibus acceperat Homerus non ita admisit, ut ex arbitrio eas mutaret, quo praestantiores de deorum natura sententias introduceret, sed potius ita ut maxime integras eas servaret. Simul etiam longe aberat ab ieiuna et futili excusatione: quae diis liceant, utpote maioribus et potentioribus, ea hominibus, qui potius semper ad honestum, decorum et iustum revocandi sint, minime licere. Eiusmodi sentiendi ratione omnem rerum moralium ordinem turbasset, et virtuti altiorem gravitatem ademisset. Attamen ad multa, quae minus honeste ab iis acta narrantur, compensanda non suffecit dignas passim de deorum natura sententias proferre. Quantumvis enim praeclara sint et gravia, quae poeta de sanctitate et iustitia deorum imprimis Iovis frequenter affirmet, quantumvis caute notare soleat, deos ipsos quod deceat, ὃ χρή, curare, Il. XVIII, 406. ac se invicem monere, ut decorum observent, Il. XX, 133. V. 757 sq. XV, 129. Od. XXIV, 481: nihilominus eo non tolluntur multae offensiones inde proficiscentes, quod in singulis causis, ubi dii agentes introducuntur, maiestate modo laudata prorsus fere destituti appareant; quod suum ipsius potius arbitrium sequantur, quam legem superiorem ac digniorem; quod denique turpibus animi affectibus ac libidinibus, odio, invidia atque insolentia referti se invicem infestent, adeoque singulorum hominum corruptores dicantur. Ut vero diis rerum moderandarum et gubernandarum provinciam tri-

buere liceat, poeta ad vetustam illam ac gentiliciam Thracum de civitate deorum Olympica fabulam refugit. In ea enim summum imperium est penes Iovem, deorum dearumque patrem et regem, qui Themide adiuvante deos ad concionem convocat*) eorumque consilia moderatur, et in quo cum suprema potestate summa gravitas et constantia consociata est. Itaque Iovis decretis singula numina quantumvis adversantia sese submittere debent. Quod quidem non ita usquequaque contingit, ut mera Iovis verecundia ducti ex intima mente cedant, sed timor superioris eius potentiae et prudentiae, Il. XIII, 355, plerumque causa est, cur, singulis exceptis, Il. VIII, 350 sq. XV, 129 sq., omnes morem gerant. Conferas quae Iuppiter diis repugnantibus minatur, Il. VIII, 10 sq. et Minerva monet, Il. XV, 137 ne dii deaeque Iovis iram excitent. Vide etiam, quae copiosius ea de re explicat Naegelsbach in libro laudato pag. 54 sq. et 104 sq.

Iam vero Iuppiter ipse apud Homerum quamquam eo, quod et rudes vires naturae superavit, et Ἄτην a se removit, Il. XIX, 129, ad summam dignitatem moralem et libertatem internam sese extulit, tamen nequaquam ultra omnem, qua homines laborant, animi imbecillitatem atque infirmitatem evectus cogitatur. Immo studio in singulos deos vel homines nimis propenso interdum in discrimen incidit, ut a consilio proposito et a susceptis desciscat. Quod accidit, quum Sarpedoni, filio amatissimo mortem imminere videt, Il. XVI, 435 sq. cell. 67., ita ut Iuno ei in memoriam revocare debet quod antea de Troianorum et Achaeorum sorte decreverit, Il. XVI, 440 sq. Idem de Hectoris obitu narratur Il. XXII, 168 sq., ubi Minerva iisdem argumentis Iovem ad sanam mentem reducere studet, vs. 128. Iovem enim non e mero arbitrio agere, sed altiorem legem observare debere, inde apparet, quod Minerva animum eius ad id, quod deceat, ὡς ἐπέοικεν, Od. XXIV, 487 advertit, eumque commonefacit, non licere ei omnium deorum dearumque assensum prorsus negligere:

ἔρδ᾽! ἀτὰρ οὔ τοι πάντες ἐπαινέομεν θεοὶ ἄλλοι.

---

*) De Themidis deae studio pacifico in Olympo cf. Il. XV, 87 sq. Telemachus Iovem una cum Themide imprecatur, Od. II, 68.

Il. XVI, 443. coll. Il. XXII, 187. Praeterea supremi rerum ordinis, cui quaecunque fiant subiecta sint, idea inter Graecos iam mature ita vigebat, ut mirum esset, si poeta deos ab illa lege immunes credidisset. Sicut igitur homines, ubi de suscepto aliquo, quod in mente habent, utrum fas sit nec ne, dubitant, deorum sententias vel ex oraculis vel e signis quibusdam aliis sciscitari solent, ita etiam Iuppiter, ubi haesitat, num animi cuidam studio indulgeat nec ne, ac sibi non satis sufficit, supremam rerum gerendarum legem investigare dicitur, ut quod in fatis sit, cognoscat. Quae quidem ratio *ἱερὰς ταλάντας* imagine adumbratur. Narratur enim, sortes hominum librae lancibus impositas a Iove examinari, quomodo cadere debeant, cf. Il. XXII, 209 sq. VIII, 69 sq. Quo altero loco etiam ostenditur, Iovem ea ratione omnem partium fovendarum suspicionem a se removisse. Quatenus autem Iovis voluntas cum lege illa suprema rerum eventus hominumque sortes moderante congruit, *Διὸς αἶσα* nominatur, Il. XVII, 321. Od. IX, 52, vel simplicius *Διὸς νόος, νόημα*, Il. XVII, 409 et 546 coll. Il. XV, 59 sq. Ex illis vero locutionibus, quibus addendae sunt *δαίμονος αἶσα, μοῖρα θεοῦ* vel *θεῶν*, non licet contendere, fati notionem de sententia Homeri revera a deorum, imprimis Iovis voluntate non seiungendam esse. Quod quamvis per nonnullos hymnorum locos magis commendatum videatur*), tamen in maiora illa carmina epica, quae pertractavimus, non cadit. Nam praeter testimonia quae modo laudavimus gravissima locutiones: *Μοῖρα* vel *Αἶσα ἐνέπνησε*, id quod Il. XXI, 47 simpliciter voce: *ἔμελλεν* exprimitur, satis confirmant, poetam praeter deorum voluntatem altiorem quandam vim vel naturae legem statuere, e qua non solum hominum sortes maxime pendeant, sed cui ne diis quidem ipsis datum sit repugnare. Ita regina deorum confitetur, etiamsi

*) Secundum Hymn. in Iovem Iuppiter solus cum Themide summum rerum regimen obtinet. Quam ob rem solus *θέσφατα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς*. Hymn. in Merc. vs. 540. Ex omnibus autem diis nonnisi Apollini datum est vaticinandi arte *θέσφατον δαήμεναι*, ea quidem lege, ut iureiurando Iovi affirmasset, se nemini deorum *Ζηνὸς πυκινόφρονα βουλὴν* aperturum, ib. 533—538. Itaque Apollo de munere suo Delphico dicit: *χρήσω δ' ἀνθρώποισι Διὸς νημερτέα βουλήν*. Hymn. in Apoll. 123. Propter illud munus Apollini Delphico una cum Iove *τοῦ μοιραγέτου* nomen tributum est. Paus. X, 24.

fieri possit, ut dii Achillem proximo tempore ab interitu servent, tamen in posterum non licere, sed

ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα
γεινομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

Quae licet ita se habeant, tamen non efficiunt, ut obliviscamur quam manca nec satis sibi constans fati notio apud Homerum reperiatur, ita ut haud raro cum aliis sententiis pugnet. Ita enim Iovis omnipotentis notio opinionem genuit, fieri posse, ut homo quidam fato iam sacer nihilominus servaretur, Il. XVI, 434 sq. Praeterea *τοῦ ὑπερμόρου* notio, de qua cf. Naegelsbach. l. l. p. 123, ostendit, fortifortunae tantum concedi, ut ordinem a fato iam constitutum interdum turbare possit. Sicuti autem iam in universum ad deos solos, non ad homines pertinere dicitur, quae *μοίρᾳ* constituta sint perficere, cf. Iunonis verba Il. XVIII, 362. 363.

καὶ μέν δὴ πού τις μέλλει βροτὸς ἀνδρὶ τελέσσαι,
ὅσπερ θνητός τ' ἐστὶ, καὶ οὐ τόσα μήδεα οἶδεν,

adeoque eum in finem iis permissum est, odio et irae in singulos quosdam morem gerere, quinimo hominum mentem coecitate obducere, ut eorum culpa sors quaedam pronunciata, *θέσφατον**), ocius eveniat: ita etiam deorum est cavere, ne vel casu quodam intercedente sors constituta irrita fiat, Od. V. 436 sq. vel unius alteriusve dei arbitrio rerum ordo turbetur, Il. V, 759. Quid multa? curandum iis est, ne quae in fatis sunt, nimium accelerentur, Il. XX, 20. coll. 517. 322 sq. XX, 206. neve nimium retardentur, Il. XVII, 544 sq. Prorsus autem alieni sunt a sententiis Homeri recte diiudicandis, qui talem apud eum fati notionem, qualis vel in Orphicis habetur,**) vel quae apud philosophos quosdam ***)

*) Ad vocis *θεσφάτου* sensum recte intelligendum cf. Od. XIII, 172. Pind. Isthm. VII, 31. Aeschyl. Eum. 594. Agam. 1132. Praeterea vide, quae Papius in lex. s. h. v. contra Nitzschii explicationem in comm. ad Od. Vol. III, p. 75 profert.

**) Quem locum suprema necessitas variis nominibus significata in cosmologicis Orphicorum doctrinis obtineat, Brandisius docet in hist. phil. Graecae Vol. I. p. 67. 72. cf. etiam Proclum in Plat. Timaeum p. 323. Apud Hesiodum *στυγερὸς Μόρος καὶ Κὴρ μέλαινα*, Noctis liberi, necessitatis naturalis partes accepisse videntur. cf. Theog. vs. 211.

***) Ita Heraclitus vim supremam rerum motus moderantem *εἱ-*

antiquiores reperitur, ponunt. Nam poeta ad supremam illam legem significandam non utitur nominibus *Ἀνάγκης*,

---

μαρμένην dicit, quam tamen Anaxagoras *κενὸν ὄνομα* appellat, cf. Alex, Aphrod. de fato c. 2. Nam secundum Anaxagoram *πάντα χρήματα νοῦς διεκόσμησε*, Diog. Laert. II, 6. Simpl. in Arist. phys. p. 35, a. sq. 67, a. Male autem sibi constitisse Anaxagoram et modo casui, modo necessitati cuidam multa reliquisse Socrates docet apud Platonem in Phaed. p. 98, cf. Wyttenb. ad. h. l. Parmenides auctore Stobaeo Eclog. Phys. I, 5 p. 158, ed. Heeren, una cum Democrito *πάντα κατ' ἀνάγκην* esse affirmavit et docuit: *τὴν δ' αὐτὴν εἶναι εἱμαρμένην καὶ δίκην καὶ πρόνοιαν καὶ κοσμοποιόν*, cf. Stob. l. l. I, 23 p. 482 et quae philosophus Eleaticus ipse de principio suo immutabili canit vs. 85. 86.

οὕτως ἔμπεδον αὖθι μένει· κρατερὴ γὰρ ἀνάγκη
πείρατος ἐν δεσμοῖσιν ἔχει τέ μιν ἀμφὶς ἐέργει

et vs. 95 sq.

οὐδὲν γὰρ ἔστιν ἢ ἔσται
ἄλλο πάρεξ τοῦ ἐόντος· ἐπεὶ τό γε μοῖρ' ἐπέδησεν,
οἷον ἀκίνητον τελέθειν τῷ παντὶ ὄνομ' εἶναι·

Supremae necessitatis ideam retinuit etiam, quum de rerum sensibus subiectarum origine ac mutatione *δόξας βροτείας* proponeret, cf. vs. 136 sq.:

εἰδήσεις δὲ καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχοντα
ἔνθεν ἔφυ τε καὶ ὥς μιν ἄγουσ' ἐπέδησεν ἀνάγκη
πείρατ' ἔχειν ἄστρων.

Quomodo autem illa necessitas cum daemone in mediis lucis et noctis orbibus sedem habente cunctaque gubernante conveniat, non satis liquet. cf. Karsten ad vs. 128. Si vero Parmenides in describenda principii supremi natura immutabili non modo *ἀνάγκης* et *μοίρας*, sed etiam *δίκης* notionem vs. 69 et vs. 14 adhibet, noli suspicari per illas notiones legis cuiusdam moralis cogitationem introduci. Immo notiones ethicae, praesertim quae ad iusti rationes spectant, a physicis veteribus ad rationes physicas significandas ita usurpantur, ut genuinam ac propriam relationem voluntati habendam exuerint, et nihil nisi virium quandam rationem a iusta voluntatis ratione in vita agenda translatam contineant. Notiones ethicas cum physicis primum apud Anaximandrum commutatas videmus, de quo Simpl. in Arist. phys. haec memoriae tradidit: *ἐξ ὧν* (sc *πολλῶν*, quae sunt in infinito, cf. Arist. phys. I, 4.) *δὲ ἡ γένεσίς ἐστι τοῖς οὖσι, καὶ τὴν φθορὰν εἰς ταῦτα γίγνεσθαι κατὰ τὸ χρεών· διδόναι γὰρ αὐτὰ τίσιν καὶ δίκην ἀλλήλοις τῆς ἀδικίας κατὰ τὴν τοῦ χρόνου τάξιν, ποιητικωτέροις οὕτως ὀνόμασιν αὐτὰ λέγων.* Simili ratione Heraclitus de sole dicit, nunquam eum suos fines transgredi: *εἰ δὲ μή, Ἐριννύες μιν Δίκης ἐπίκουροι ἐξευρήσουσιν*, cf. Plut. de exil. c. 11 sub fin. Quid multa? Heraclitus, qui bellum nominavit omnium rerum et patrem et regem, Homerum vehementer vituperat, quod optaverit, ut *ἔρις* inter deos hominesque pereat, quibus occulte exsecrari poetam dicit *πάντων ἐκ μάχης καὶ ἀντιπαθείας τὴν γένεσιν ἐχόντων* naturam, cf. Plut. de Isid. et Osir.

Τύχης, sed potius *Μοίρας*, *Αἴσας*, quibus apti et decori notio subest. Itaque proxime accedit ad genuinam Homeri sententiam, quod Herodotus de fati nimis iniquas hominum sortes exaequantis natura et indole docet, I, 91 sq. cf. III, 40 sq. Iaeger: Disp. Herod. p. 37 sq. Hoffmeister: die Sittlich-relig. Lebensansicht des Herodot pag. 1. sq. Quod attinet ad praedicata *ὀλοή, κρατειή, κακή, δυσώνυμος* et quae sunt reliqua, ea non ad indolem aliquam moralem referenda sunt, sed efficaciam tantum significant quam infaustam sortem perpessi experiuntur. Plerumque autem homines apud Homerum a diiudicanda lege *μοίρας* nomine significata, num iusta et aequa sit nec ne, abstinent. Nam quum hominum sit iam de Iovis decretis eorumque iustitia quaestionem nullam movere, sed sine ulla dubitatione iis parere, multo magis consentaneum iis est quod in fatis constitutum creditur patienter ferre. Ita Hector Andromacham contristatam et acerbissimam sortem metuentem placaturus inde solatium petit, quod quae fato constituta sint nemo effugere possit, Il. VI, 486 sq. Eodem solatio rex Alcinous utitur, quum animos Phaeacum qui propter navem ab Ithaca redeuntem in lapidem conversam perterriti et contristati sunt ad *παλαίφατα θέσφατα* revocet, Od. XIII, 172 coll. 564 sq.

Sed hic nobis subsistendum est. Rationem enim attigimus, quae minus ad iusti, quam ad *σαόφρονος* conditionem pertinet. Est autem viri et prudentis et temperati agnoscere, quod evitare nefas sit ac patienter ei se submittere, contra quod reniti nonnisi insipientis est ac vesani.

---

c. 48, Diog. Laert. IX, 1. Satis larga exempla notionum commutationis vel potius confusionis apud Empedoclem reperiuntur. Quae accuratius perlustrandi hic non est locus idoneus. Meminisse tantum sufficiat, quomodo primi philosophi ab Homerica ac vulgari Graecorum sapientia recesserint. Quantum vero damnum principiis ethicis recte constituendis inde exortum sit, ita ut altior quae sibi videbatur sapientia de dignitate honesti et decori absoluta maxime dubitaret, ac veram iusti naturam in *τῷ τοῦ κρείττονος ξυμφέρῳ* poneret, singularem disquisitionem efflagitat.

De

idea iusti apud Hesiodum.

Carmina Homeri magnificam et hilarem rerumque gerendarum studio refertam heroum vitam ob oculos posuerunt, in qua singulis imaginibus adornanda poeta suavitati ex arte sua perceptae secure indulgebat. Prorsus aliter in carminibus Hesiodeis factum esse videmus. Cuius diversae rationis causa non solum in proprio utriusque poetae ingenio, sed multo magis in dispari patriae conditione ponenda videtur. Nam quum colonis Aeolicis et Ionicis contigisset in oris maritimis Asiae minoris sedes sibi parare laetissimas et urbes exstruere multis nominibus florentes, patria quam reliquerant, imprimis autem Boeotia, per populos migrantes in longum tempus turbata, statu utebatur multo tristiore. Nam gentium migrationes aetatem heroicam subsequentes id effecerunt, ut in singulis Graeciae partibus, quae iam diu et institutis et legibus publicis incolarumque industria florebant, pristina conditio violenter immutaretur, patrimonia disturbarentur et controversiis ac litibus acerrimis inter ipsos gentiles exortis animi laetitia, candor et sinceritas prorsus fere evanesceret. Quod maxime accidit in Boeotia, quae non solum plurimos impetus et transitus gentium e regione septentrionali descendentium sustinebat, sed cuius etiam incolae iterum iterumque in potestatem peregrinorum redigebantur, ita ut in integri illius pristini incolarum generis locum mixtum quoddam sensim successisset. Hac in terra belli nomen propter aerumnas, quas secum ducebat, iam dudum horrorem hominibus incusserat, cf. Hesiod. op. vs. 229, et molestiae in victu parando ac sollicitudines in possessione contra avaritiam et violentiam eorum,

penes quos et imperium erat et iuris dicundi potestas, defendenda hominum animos fregerant et tristitia atque angore impleverant. Quid multa! misera iuris publici fraude et corruptela depravati conditio effecit, ut iusta et honesta vitae agendae ratio magis magisque tabesceret et boni mores vi ac gravitate, quam apud Homerum obtinuerant, prorsus fere destituerentur. Quapropter Hesiodus, Op. 287, O Perse, inquit, *κακότητα* facile et cumulate reperies, nam facilis ad istam est via, siquidem linguae artibus multa bona parare licet, Op. 322. Virtuti autem viam arduam et salebrosam a diis assignatam esse. Op. 298. Res ut nunc sese habeant, virum iustum non in honore esse, imo male cum eo agi. Quod reputans, poeta ipse iustus esse paene non vult, Op. 270 sq.:

νῦν δὴ ἐγὼ μήτ᾽ αὐτὸς ἐν ἀνθρώποισι δίκαιος
εἴην μήτ᾽ ἐμὸς υἱός· ἐπεὶ κακὸν ἄνδρα δίκαιον
ἔμμεναι, εἰ μείζω γε δίκην ἀδικώτερος ἕξει·
ἀλλὰ τάγ᾽ οὔπω ἔολπα τελεῖν Δία τερπικέραυνον.

Propter perfidiam autem et avaritiam omnem cautionem ac prudentiam adhibere suadet etiam in fratrem, Op. 371, imprimis in mulieres ib. 373, quarum mores, si e gravissimis opprobriis quae in Theogonia v. 583 sq. reperiuntur concludere licet, perquam depravati erant.

Iam vero quantacunque inter aequales fuerint vitia et mala a poeta comperta et quam aegre ipse tulerit nequitiam fratris, qui eum non solum iusta patrimonii parte defraudasset, verum etiam lite excitata reliquam partem sibi vindicare studere: nequaquam tamen ea mente erat noster, ut vitam gemitu et lamentatione transigeret nec usquam auxilium quaereret, imo potius, ut vates a Musis et Apolline edoctus, Theog. 94—103, ex angustiis vitae inopis multumque in modum dissonae emergere studuit. Quem ad finem tam sapientiae domesticae praeceptis iuris et aequi ideam in hominum animos revocare suscipit, quam doctrina de lege suprema res divinas humanasque moderante hominibus impudentibus et maleficis terrorem iniicere, iisque, qui innocenter multa perpessi sint, melioris futurae conditionis spe solatium suppeditare studet. Quod ut melius fieri possit, variae ac multum in modum dissonae traditiones populares et fabulae de origine ac mutua ratione deorum ita consociandae erant, ut

minus quam antea offensionis haberent, et firmius doctrinae fundamentum praeberent. Itaque poeta in Theogonia singulis numinibus certum ordinem quo inter se teneantur vindicare, et ostendere conatur quam dii in moderandis hominum sortibus habeant provinciam. Quo factum est, ut cum Homero maxime Hesiodus, teste Herodoto, opinionum quae apud Graecos illorum aetate inferiores de deorum natura et muneribus valuerunt, auctor evaderet. Si vero Hesiodi carmina epica cum Homericis comparantur, severior priorum indoles facile elucet. Prorsus enim repudiavit fabulis fingendis homines oblectare, sed leviores quas dicit artes contemnens, graviorem veri rationem se persecuturum esse affirmat. Huc pertinent verba Theogoniae, vs. 24—34, quibus diserte affirmat, artem a Musis dono sibi datum veritati docendae et pronuntiandae dicatam esse.

Iam ut in adumbrandis Hesiodi de iusto et honesto sententiis ad singula transgrediamur, apparet, *τῆς δίκης* notionem similiter ut apud Homerum inter notiones morales locum obtinere primarium. Attamen non prorsus eandem vocis *δίκης* vim in Hesiodi carminibus reperimus, quam apud Homerum cognovimus. Nam quum Hesiodi aequalium mores ita depravati essent, ut minime eos pro norma honeste agendi habere liceret, *δίκης* prolixam moris cuiuslibet et usus recepti significationem poeta reliquit, et vocis usum ad graviorem legis supremae, cui hominum mores et studia, *ἤθεα* Op. 222, sese submittere deberent, notionem restrinxit. Nam de poetae sententia Iuppiter hominibus *νόμον* quendam imposuit, *διέταξε* Op. 276, ut scirent, quid singulis praestandum esset. Qua quidem lege homines a feris, quibus nulla insit *δίκη*, differre, Op. 279., nempe ut sibi invicem parcant et quod sibi debeant praestent. Iovi autem ii tantum grati et accepti sunt,

οἳ δὲ δίκας ξείνοισι καὶ ἐνδήμοισι διδοῦσιν
ἰθείας καὶ μή τι παρεκβαίνουσι δικαίου,

Op. 225. 226.

Cui sentiendi agendique rationi non solum superbia et violentia opponitur, *ὕβρις* Op. 134. 217. 222. et *βίη* Op. 148. 175, verum etiam aemulationis quaedam species *ζῆλος δυςκέλαδος, κακόχαρτος, στυγερώπης,* Op. 195. Talis aemulatio disiungenda est ab aemulatione sensu bono, quam

ἀγαθὴν βροτοῖσι dicit Op. 24. Eadem sententia etiam ita exprimitur a poeta, ut Op. 11 sq. duas *Ἔριδες* proponat:

τὴν μέν κεν ἐπαινήσειε νοήσας,
ἡ δ' ἐπιμωμητή· διὰ δ' ἄνδιχα θυμὸν ἔχουσιν.
ἡ μὲν γὰρ πόλεμόν τε κακὸν καὶ δῆριν ὀφέλλει
σχετλίη· οὔτις τήν γε φιλεῖ βροτός, ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης
ἀθανάτων βουλῇσιν Ἔριν τιμῶσι βαρεῖαν.

Altera igitur *Ἐρίδων* quam *Νύξ* priorem genuit et quae melioris est indolis, vs. 19, virum industrium ad rem familiarem bene instituendam incitat atque efficit, ut honesta ratione opes augeat. Altera contra, quae *Ἔρις κακόχαρτος* dicitur vs. 28, *νείκεα* et *δῆριν* movet in bona aliena, vs. 33 sq., eaque sibi arripere studet vel vi adhibita, *χερσί, βίῃ* Op. 321, qua de causa homines, talia perpetrantes, *χειροδίκαι* dicuntur, Op. 189, vel falsa accusatione, *σκολιοῖς μύθοις*, et effatis insuper periurio confirmatis, Op. 194. Eiusmodi agendi rationem poeta *ἀπὸ γλώσσης ληΐσσεσθαι* dicit. *)

Ut vero turpes illae lites, *νείκεα* Op. 35, in quibus ab una alterave parte iusti fines derelicti sunt, recte componantur et ius valeat, *διότρεφες βασιλῆες* munus habent *ἰθείῃσι δίκαις, αἵτ' ἐκ Διός εἰσιν ἄρισται,* Op. 36. causas diiudicandi et sententiis *ἀσφαλέως* enuntiatis, Theog. 86, litem et controversiam, *μέγα νεῖκος*, sine ambagibus dirimendi. Ob illam virtutem tales viri Op. 230 *ἰθυδίκαι ἄνδρες* nominantur et prudentes et solertes Musarumque donis praediti, Theog. 88 sq.

τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι
ῥηϊδίως, μαλακοῖσι παραιφάμενοι ἐπέεσσιν,

*) In Theogonia vs. 226 sq. sub imagine progeniei magna malorum et vitiorum series ex *Ἔριδι καρτεροθύμῳ*, quam *Νύξ ὀλοὴ* peperit, derivatur.

Αὐτὰρ Ἔρις στυγερὴ τέκε μὲν Πόνον ἀλγινόεντα
Λήθην τε Λιμόν τε καὶ Ἄλγεα δακρυόεντα,
Ὑσμίνας τε Φόνους τε, Μάχας τ' Ἀνδροκτασίας τε,
Νείκεά τε ψευδέας τε Λόγους Ἀμφιλογίας τε,
Δυςνομίην, Ἄτην τε, συνήθεας ἀλλήλῃσιν,
Ὅρκον θ', ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίους ἀνθρώπους
πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ·

ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς ἱλάσκονται
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μετὰ δὲ πρέπει ἀγρομένοισι·
*οἵα τε Μουσάων ἱερὴ δόσις ἀνθρώποισιν.**)

Quibus regibus adversantur iudices *δωροφάγοι*, Op. 29. 264, qui largitionibus corrupti *σκολιῇσι δίκῃσιν* utuntur, Op. 219, vel qui, quum *ἄδικον νοόν* habeant, Op. 260, *ἄλλῃ παρκλίνωσι δίκας σκολιῶς ἐνέποντες*, nec unquam *ἰθεῖαν ἔνειμαν* sc. *μοῖραν*, Op. 224. Tales saepe increpat poeta, ut Op. 263:

βασιλεῖς, ἰθύνετε μύθους,
δωροφάγοι, σκολιῶν δὲ δικῶν ἐπὶ πάγχυ λάθεσθε.

Sed non solum iis, quibus sententia ferenda est, verum etiam qui lites movent et causas ad iudices deferunt iustitiam etiam atque etiam commendat. Ita iam incipiente carmine vs. 9, Persen fratrem monet: *δίκῃ δ' ἴθυνε θέμιστας*! Nam quum in litibus recte diiudicandis causae, de qua agitur, cognitio plurimum valeat, iudicibus autem haud raro veram eius rationem nonnisi ita explorare liceat, ut vel testes, vel ubi desunt, litigantes ipsos ad ius iurandum vocent, (id quod non solum in homines cadit, verum etiam apud deos fit, si *ἔρις* et *νεῖκος* inter eos exorta est, cf. Theog. 282,) is etiam *τὴν δίκην* violat, qui falsum testimonium dicit eoque magis peccat, quo procacius iureiurando interposito mendacium confirmare conatur, Op. 282:

ὃς δέ κε μαρτυρίῃσιν ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσας
ψεύσεται, ἐν δὲ δίκην βλάψας νήκεστον ἀασθῇ.

Itaque in describenda iniustitia hominum aetatis ferreae haec etiam narrantur a poeta, Op. 190—194:

οὐδέ τις εὐόρκου χάρις ἔσσεται οὔτε δικαίου
οὔτ' ἀγαθοῦ, μᾶλλον δὲ κακῶν ῥεκτῆρα καὶ ὕβριν
ἀνέρα τιμήσουσι· δίκη δ' ἐν χερσί, καὶ αἰδὼς
οὐκ ἔσται· βλάψει δ' ὁ κακὸς τὸν ἀρείονα φῶτα
μύθοισι σκολιοῖς ἐνέπων, ἐπὶ δ' ὅρκον ὀμεῖται.

Hinc apparet, apud Hesiodum veracitatis notionem sub imagine viae rectae expressam cum iustitiae idea arctissime

---

*) Cf. Leneppium ad h. l. et Schoemannum, qui contra Lennep. lacunam ante *οὕνεκα λαοῖς* statuit, eamque ita explet:
τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες [ἥδε δίκαιοι
τιμῆς ἔμμοροί εἰσιν ἐν ἀνδράσιν] οὕνεκα λαοῖς
cf. Zeitschrift f. Alterthumswissensch. 1845 Supplementheft 2. p. 159.

coniungi.*) Accedunt etiam aequitatis, indulgentiae et benevolentiae notiones, quas poeta *τοῦ ἀγαθοῦ* nomine interdum complectitur. Itaque viri iusti exemplar sub Nerei senis nomine depingitur his:

Νηρέα δ' ἀψευδέα καὶ ἀληθέα γείνατο Πόντος,
πρεσβύτατον παίδων· αὐτὰρ καλέουσι γέροντα,
οὕνεκα νημερτής τε καὶ ἤπιος, οὐδὲ θεμιστέων
λήθεται, ἀλλὰ δίκαια καὶ ἤπια δήνεα οἶδεν.

Theog. 233 sq. coll. p. 293—297, qui locus etiam ab Aristotele citatur in Ethica ad Nicom. I, 2. pg. 1095, b. ed. Bekk.

Iam quum in societate bene morata lis ita dirimatur, ut singuli litigantes ad iusti et aequi fines revocentur, pax et vita legibus temperata inde sequitur. Quo sensu poeta in Theogonia *τῇ Δίκῃ* Iovis filiae, quam e *Θέμιτι λιπαρῇ* genuit, praeter Horas rerum humanarum moderatrices**) sorores addidit et *Εὐνομίην* et *Εἰρήνην τεθαλυῖαν, αἵτ' ἔργ' ὠρεύουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι*, cf. Theog. 902 sq.***) Praeterea Eurynome Oceani filia, *πολυήρατον εἶδος ἔχουσα*, tres Gratias Iovi peperit *καλλιπαρήους*.****)

---

*) Etiam Mimnermus in carmine Nanno inscripto cf. Stobaei florileg. XI, 1. veritatem praedicat, ut rem maxime iustam:
Ἀληθείη παρέστω
σοὶ καὶ ἐμοί, πάντων χρῆμα δικαιότατον.

**) Cf. Hym. Orph. 42, 1 (XLIII ed. Herm.) in Horas:
Ὧραι, θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος,
Εὐνομίη τε, Δίκη τε, καὶ Εἰρήνη πολύολβε,
εἰαριναί, λειμωνιάδες, πολυάνθεμοι, ἁγναί,
παντόχροοι, πολύοδμοι ἐν ἀνθεμοειδέσι πνοιαῖς,
Ὧραι ἀειθαλέες, περικυκλάδες, ἡδυπρόσωποι.
Quid temporis rationes in rebus publicis valuerint, satis cognitum est. Conf. Huellmannum: Staatsrecht des Alterthums 15 et Hymn. Orph. in Gratias 59 (Herm. LX) v. 2.

***) De qua sententia cf. Schoemanni: Des Aeschylus gefess. Prometheus p. 122.

****) Ad sententiarum seriem, quam Hesiodus paucis tantum hic tangit, magis intelligendam operae pretium videtur notiones perscrutari, quibus Pindarus ratione genealogica adhibita ideam iusti collustrat. Pindaro auctore *Δίκα* filia est *εὐβούλου Θέμιτος*, Ol. XIII, quam primum post Titanum tempora *Μοῖραι* ab Oceani fontibus ad Olympum duxerunt, ut et prima esset Iovis servatoris coniux, fragm. 6 et *πάρεδρος Διὸς ξενίου*, unde *Σώτειρα* dicitur, Ol. VIII, 20. 21. Ea primum *τὰς*

Ne vero putet quispiam, quum Dicam e Themide exortam videat, Hesiodum iuris ideam ita sibi informasse, ut eam

---

χρυσάμπυκας ἀγλαοκάρπους τίκτεν ἀλαθέας Ὥρας, fr. 2, quae quid tempestivum et opportunum sit, *τὸ καίριον*, hominibus indicant, eorumque menti *ἀρχαῖα σοφίσματα*, quibus cuiusvis generis intelliguntur virtutes, iniiciunt. Ol. XIII, 17. Qua serie reliqua progenies exorta sit, a Pindaro traditum non habemus, quum temporis invidia integrum carmen, cuius fragmentum supra laudatum Clementi Alexandrino debemus, nobis subripuit. Itaque carmine Olympico XIII, 7 sq. tantum edocemur Themidem bene consulentem etiam *χρύσεας παῖδας* peperisse: *Δίκαν καὶ ὁμότροπον Εἰράναν*, quae quum amovere studeant *Ὕβριν, κόρου ματέρα θρασύμυθον*, fundamentum urbium firmum dicuntur et *ταμίαι ἀνδράσι πλούτου.* Quibus additur Ol. XIII, 6 *Εὐνομία*, quam poeta dicit *ἀπόλεμον*, Pyth. V, 63, et, quum magnam salutem civitatibus paret, *μεγαλόδοξον* et *Σώτειραν*, Ol. IX, 17. Praeterea *Ἀλαθείαν*, Iovis filiam et *Δίκας* sororem, precibus invocat poeta, ut ab iniusta laude eum arceat. *Δίκας* autem filia *φιλόφρων* est *Ἁσυχία*, urbes augens consiliorumque et bellorum tenens claves supremas. „Tu enim", ita poeta eam invocat, „mitia et agere et pati pariter nosti tempore opportuno. Tu quoque, quando quis immiti cordi odium infixerit, aspero infensorum occurrens robori ponis insolentiam in fundo maris." Quod quam verum sit, Gigantum sorte probatur. cf. Pyth. VIII, 1 sq. Maxime igitur Tranquillitati adversatur seditio infesta, qua mente haec dicit poeta:

> *τὸ κοινόν τις ἀστῶν ἐν εὐδίᾳ τιθείς*
> *ἐρευνασάτω μεγαλάνορος Ἁσυχίας τὸ φαιδρὸν φάος,*
> *στάσιν ἀπὸ πραπίδος ἐπίκοτον ἀνελών,*
> *πενίας δότειραν, ἐχθρὰν κουροτρόφον.*

cf. fragm. 225 ap. Boeckhium; de historica ratione cf. Boeckhii comment. ad Pyth. XI. pag. 340. Cf. etiam, quae, canit similia de *Εἰράνᾳ* Bacchilides apud Stob. florileg. LV, 3. Iam ubi *Δίκα* et *Ἁσυχία* commorantur, ibi lubenter etiam intrant *Χάριτες*, Ol. XIII, 22 sq., quae non solum mortalibus *τὰ τερπνὰ καὶ γλυκέα* largiuntur, *εἰ σοφός, εἰ καλός, εἴ τε ἀγλαὸς ἀνήρ*, Ol. XIV, 5. IX, 30 et victorias praebent, Ol. II, 55; sed etiam tanta dignitate praeditae sunt, ut ne dii quidem neglectis sanctis illis Gratiis choros ducant et convivia celebrent. Sunt potius omnium in coelo rerum dispensatrices, *πάντων ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ* et thronos iuxta Apollinem Pythium aureo arcu armatum positos habent, ubi sempiternum colunt patris Olympii honorem, Ol. XIV, 7—12. Quum igitur Gratiae in consortio cum Apolline et Musis vivant, homines qui eas colunt etiam ad Apollinis et Musarum cultum ducuntur. Cui autem Apollo cantum et cytharae artem praebet, ei *ἀπόλεμον ἐς πραπίδας* inserit *εὐνομίαν*, Pyth. V, 62. 63. De musices vi mitigante et summam ipsius Iovis maiestatem ac severitatem, Martisque bellicam ferociam deliniente cf. praeclar. carm. Pyth. I, 1 sq. Denique huc referenda sit Harmonia, Martis et Veneris filia, Hesiod. Theog. vs. 937. 975, quam in hymno Homerico in

in religione tantum reconditam censeat, et nihil nisi Iovis iussa per eam intelligat. Quam aliena sit talis opinio ab Hesiodi sentiendi ratione, iam apparet ex Operum loco supra laudato, quo poeta docuit, legem hominibus datam esse a Iove internam, e qua iura sibi invicem praestanda agnoscerent. Praeterea caerimoniis, quibus non subest mentis sinceritas, nullam dignitatem poeta tribuit. Iubet enim Op. 337 sq. non solum *κατὰ δύναμιν*, verum etiam *ἁγνῶς καὶ καθαρῶς* diis sacrificia offerri, ut *ἵλαον κραδίην καὶ θυμὸν ἔχωσι* sacrificanti. *) Quam bene autem poeta intellexerit iusti ideam non ab hominum arbitrio pendere, sed a iudiciis de honesto ac turpi in pudoris sensu positis, multis locis probatur. Coniungitur *δίκη* et *αἰδώς* op. 192. Alibi docetur, ubi lucri iniusti studium animos hominum decepit, impudentiam pudorem superasse, Op. 323. 324. Porro sub finem descriptionis aetatis ferreae *Αἰδὼς* et *Νέμεσις λευκοῖσι φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλόν*, iniusto et depravato hominum genere derelicto in Olympum rediisse narrantur Op. 197. Multum etiam tribuitur aliorum hominum existimationi ac monetur, ut quisque *φήμην κακήν* caveat, quae *χαλεπή* et *δεινά* sit, Op. 760. Ut vero genuina dignitas, quam poeta *τῇ δίκῃ* tribuit, magis eluceat, conferas Op. 257, ubi iustitia sub imagine deae descripta diis ipsis *κυδρή τ' αἰδοίη* dicitur.

Iam vero, si poetam saepissime monentem videmus, ut homines Iovem timeant rerum humanarum ac divinarum moderatorem, penes quem et summa potestas sit et supremum iudicium, id eam ob causam facere illum apparet, ut iustitiam et vitam honestam gravissimis argumentis commendet. Nam luce clarius ei erat ad iustitiam sustentandam non sufficere mentes

---

Apollinem vs. 195 in consortione cum Musis, Gratiis, Horis, aliis commemoratam invenimus. Quam ob rem mirum nobis videtur, quod Pindarus, quem doctrina Pythagorica imbutum fuisse constat, de idea illo nomine significata tam parum dixerit. Commemoratur tantum Harmonia Cadmi uxor, quae Thebis ut dea patria colebatur, Plut. Pelop. c. 19. Huius vero nomen magis ad veterem cultum Pelasgicum pertinet, Mueller: Orchomen. p. 161, quam ut ad sententiarum supra expositarum seriem referenda sit.

*) Ea mente de iustitia dicitur Hym. Orph. 62 (Herm. LXIII), 4:
ἣ καθαραῖς γνώμαις αἰεὶ τὰ δέοντα βραβεύεις.

hominum ad sensus internos revocare si pudor inter eos prorsus fere evanuit et sana mens multis libidinibus obnubilata est. Quam improbam aequalium in agendo securitatem ut removeat, timorem Iovis excitare studet, quippe cuius *δίκη* maleficis poenam, iustis praemia impertiat. Itaque potentes et pollentes monet, ne nimis tutos se habeant, quasi ad modum accipitris lusciniam laniantis, Op. 203 sp., imbecillos vexare liceat; *ὕβριν* non solum hominibus vilioribus, verum etiam potentioribus perniciem afferre. Viam autem *ἐς τὰ δίκαια* longe praestare, nam

δίκη δ' ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
ἐς τέλος ἐξελθοῦσα.

Op. 217. 218. Itaque stulti sunt e sententia poetae, qui lucrum quaerunt iniustum; nesciunt enim, quanto melior sit dimidia pars iuste parata, quam totius iniusta possessio, Op. 40.*) *Δὼς* quidem *ἀγαθή, ἅρπαξ δέ κακή, θανάτοιο δότειρα,* Op. 356. Qui iniuste magnas opes sibi quaerit, sive *χερσί βίῃ* sive *ἀπὸ γλώσσης:*

ῥεῖα δέ μιν μαυροῦσι θεοὶ, μινύθουσι δὲ οἶκοι
ἀνέρι τῷ, παῦρον δέ τ' ἐπὶ χρόνον ὄλβος ὀπηδεῖ.

Op. 325. 326. Quapropter, quum *κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν* habenda sint, Op. 352, nonnisi hominis est *θύμῳ ἀεσιφρόνῳ* praediti, et revera bona atque utilia negligentis iniuriam alicui inferre et maleficia committere. Mala enim mala pariunt. Nam Iovis oculi omnia vident nec latet eum qualem iustitiam homines exerceant.

οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων,
ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας
καί νυ τάδ', αἴ κ' ἐθέλῃσ', ἐπιδέρκεται, οὐδέ ἑ λήθει
οἵην δὴ καὶ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει.

Op. 265 sq. Iuppiter rebus iniuste peractis irascitur et diram ultionem iis parat. op. 333:

τῷ δ' ἤτοι Ζεὺς αὐτὸς ἀγαίεται, ἐς δὲ τελευτὴν
ἔργων ἀντ' ἀδίκων χαλεπὴν ἐπέθηκεν ἀμοιβήν.

Saepe fit, ut propter unius civis improbitatem tota urbs poe-

---

*) Eadem sententia sub Pittaci nomine apud Diog. Laert. I, 4, 2 reperitur.

nas luat, Op. 240 sp. Iuppiter enim cuiusvis generis miserias in eam mittit, Op. 282 sq., pestem, famem, familiarum, imprimis periurarum excidium, bellum, vs. 229 diserte ut poena divina descriptum: cuncta ex sapientia sua suprema, *Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν Ὀλυμπίου,* Op. 245. Quae dira atque iniqua talionis multiplicatae ratio in poenis divinis non inaudita est, quum iam in vitae usu duplex liceat ultio in eum, qui primus vel verbis vel factis aliquum laeserit, op. 709—711:

εἰ δὲ σέ γ' ἄρχῃ,
ἤ τι ἔπος εἰπὼν ἀποθύμιον, ἠὲ καὶ ἔρξας,
δὶς τόσα τίνυσθαι μεμνημένος.

Admisit enim hic noster talionis genus apud populos antiquos sancitum, a posterioribus autem magis magisque sublatum. Ita multo generosius iam ait Pittacus apud Diog. Laert. 1, 43: *συγγνώμη τιμωρίας κρείσσων.* In universum autem Hesiodus hanc regulam agendi proponit Op. 353 sq.:

τὸν φιλέοντα φιλεῖν καὶ τῷ προσιόντι προςεῖναι.
καὶ δόμεν, ὅς κεν δῷ, καὶ μὴ δόμεν ὅς κεν μὴ δῷ.
δώτῃ μέν τις ἔδωκεν, ἀδώτῃ δ' οὔτις ἔδωκεν.

Iam vero tametsi Iovi soli summa et amplissima tribuitur intelligentia, cf. Op. 263, Theog. 474, ita ut nulla fraude decipiatur, Theog. 550, 613 coll. 565. 656, quinimo *Μῆτιν* ipsam deludere ei contigerit, Theog. 886: tamen ei ad iustitiam exercendam adiutores quidam subiunguntur. Primum *Δίκη* virgo *Διὶ πατρὶ καθεζομένη*, Op. 259, quae si *ἀδίκῳ* hominum *νόῳ*, praesertim iudiciis iniustis laesa est, Iovem ad ultionem excitat, Op. 260, hominibusque iniustis mala affert,*) Op. 223; porro homines e prima aetate defuncti,

---

*) Cf. Hymn. Orph. in *Δίκην* 61 (LXII Herm.)

Ὄμμα Δίκης μέλπω πανδερκέος, ἀγλαομόρφου
ἣ καὶ Ζηνὸς ἄνακτος ἐπὶ θρόνον ἱερὸν ἵζει,
οὐρανόθεν καθορῶσα βίον θνητῶν πολυφύλων,
τοῖς ἀδίκοις τιμωρὸς ἐπιβρίθουσα δικαίη,
ἐξ ἰσότητος ἀληθείῃ συνάγουσ' ἀνομοῖα.
πάντα γὰρ, ὅσσα κακαῖς γνώμαις θνητοῖσι ὀχεῖται,
δύςκριτα, βουλομένοις τὸ πλέον βουλαῖς ἀδίκοισιν·
μούνη ἐπεμβαίνουσα δίκη ἀδίκοις ἐπὶ ἔργοις,
ἐχθρὴ τῶν ἀδίκων, εὔφρων δὲ σύνεσσι δικαίοις.

Bene tenendum est, in Orphicis sub idea iusti aequalitatem maxime intelligi cf. Hymn. in *Δικαιοσύνην* 62 (LXIII, Herm.) vs. 10. 11:

qui Iovis consilium exsequentes ut daemones invisibiles terram perlustrant, hominumque viventium res gestas inspiciunt. Op. 122 sq. Praeterea *Ὅρκος* commemoratur Op. 804, *τὸν Ἔρις τέκε πῆμ᾽ ἐπιόρκοις*, qui *σκόλιας δίκας* ultione persequitur, Op. 219, et permultas calamitates ei parat, qui sua sponte, *ἕκων*, periurium commisit, Theog. 252. Adduntur etiam *Ἐρίννυες*, quae *Ὅρκον* violatum ulciscuntur, Op. 803. 804. Denique *Μοῖραι* et *Κῆρες* e numero deorum, quibus ultionis provincia tribuitur non sunt omittendae. In prima nempe Theogoniae parte, vs. 211 sq. ut Noctis filiae describuntur, quae una cum Nemesi sorore (quam, ut sit *πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι, Νὺξ ὀλοή* peperit) non solum hominum, verum etiam deorum *παραβασίην* persequuntur, nec persequi desinunt, donec peccator poenas luit, Theog. 906 sq. De qua diversa narratione cf. E. Platner: Notiones iuris et iustitiae ex Homeri et Hesiodi carminibus explicatae p. 146; Göttling prolegomena in Hesiodi carmina; Schoemann l. l. p. 108 sq. et in libro: Des Aeschyl. Eumeniden Gryph. 1845 p. 62, denique in censura supra laudata p. 156. Hinc apparet, non solum iniurias et maleficia ulciscendi provinciam a poeta Parcis tribui, verum etiam munus magnam felicitatem iis afferendi, qui secundum *δίκην* a Iove hominibus datam, *ἣ πολλὸν ἀρίστη γίγνεται*, vitam agant:

εἰ γάρ τίς κ᾽ ἐθέλῃ τὰ δίκαι᾽ ἀγορεύειν
γιγνώσκων, τῷ μέν τ᾽ ὄλβον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς.

Op. 279 sq. Ubi enim iustitia valet erga indigenas et peregrinos, nec ullus homo *τὸ δίκαιον* migrat, ibi et urbes crescunt et gentes florent, ibi pax sedem habet, nec Iuppiter *ἀργαλέον πόλεμον* mittit. Fames inde amovetur et agri fertilitas ac victus ubertas terram ornat, Op. 225 sq. Sicut deum populi regem iustum et aequum venerantur, Theog. 91. 92. et viri veracis, *εὐόρκου*, gens diu manet in honore, Op. 285.

Habes totam Hesiodi de iusto et iustitia doctrinam. Praeterea velim observes prudentiam et dexteritatem in vitae usu obtinendam non sine astutiae laude etiam atque etiam a poeta

αἰεὶ γὰρ τὸ πλέον στυγέεις, ἰσότητι δὲ χαίρεις.
ἐν σοὶ γὰρ σοφίη ἀρετῆς τέλος ἐσθλὸν ἱκάνει.

Cur *εἰρήνη χείρουσα* vs. 9 dicatur, optime explicat sententia Solonis *τὸ ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖ.*

commendari, et in altera Op. et Dier. parte ordinem in vita domestica et publica ad anni tempora accommodandum praecipi virtutemque ea in re conspicuam *εὐθημοσύνην* nominari. Cf. Op. vs. 471. 472.

Retractatio succincta sententiarum in carminibus Homericis et Hesiodeis de notione iusti propositarum.

Quum apud Homerum in explicanda *τοῦ δικαίου* notione ad vocis *δίκης* potestatem eruendam delegati essemus, apparuit, nomine *τοῦ δικαίου* in universum vitae agendae rationem quae certis moribus, institutis ac legibus conveniret significatam esse. Quam vero vitae conditionem non ita perscrutari conati sumus, ut singulos illos mores, vitae usus, instituta et leges, quibus obsequium ferendum esset hominibus quales Homerus depinxit, enumeraremus. Tunc enim non philosophi, sed potius historiarum scriptoris munus suscepissemus. Immo nostrum esse putavimus rationem sub iusti notione latentem formalem cum ex parte poscentis tum praestantis accuratius examinare, et perspectis duobus illis rationis membris genuinam iusti naturam, quae in singulis illis exemplis habeatur, in lucem proferre.

Prima igitur conditio rationis iuste agendi consensus erat praestantis cum poscente non fortuitus et inconsideratus, sed consulto et cogitate factus; nec poscentis arbitrio et violentia coactus, sed sponte ab altero initus, ut quicunque contra ageret in vituperationem incurreret.

Iam quaesivimus, unde laus homini iusto tributa peteretur, utrum ex ratione utilitatis habita, an aliunde manaret. Utilitatis autem notio non ad propriam iusti dignitatem describendam adhibetur, sed eatenus tantum cum notione iusti coniungitur, quatenus vir iniustus iniusta agendi ratione da-

mnum et perniciem sibi adsciscit. Quae igitur sunt alia argumenta, e quibus postulantis ius et obsequium ferentis officium probetur? Videndum erat, num ex natura eius, qui obsequium postularet, qua postulantis, eiusmodi aliquid efficeretur. Multis locis perspectis apparuit e sententia Homeri eius tantum postulata iusta dici, qui postulans mores et usus receptos sequeretur. At quae mores praecipiebant, num e solo usu diuturno illa, atque e mera consuetudine dignitatem iusti sumpserunt? Quae quidem fuerit observantia moribus a maioribus traditis habita, nihilominus tamen sola antiquitatis auctoritas causam sufficientem non praebuit, cur sancti et satis digni haberentur, sed tantummodo eam ob causam quod cum sententiis de honesto et decoro concinerent. Quae sententiae non ab arbitrio cuiusvis hominis pendere, sed e sensu quodam interno omnibus hominibus insito, *αἰδῷ*, ipsas se offerre existimatae sunt. Sed quum ille sensus non pari modo in unoquoque vigeret, imo potius haud raro excitandus esset atque augendus, mores et usus in societate recepti sensus illius interni vices procurarunt.

Verum enim vero quae homini *δικαίῳ* observanda erant, non solum morum receptorum finibus circumscribebantur, sed etiam ad id pertinebant, quod legibus latis recenterque ferendis ac iudicum sententiis forensibus iubebatur. At legumlatores et iudices unde ius et fas petierunt, ut singulis officia praeciperent? Num forte e potestate? Minime. Nam quae e mera potestate gerebantur, violentiae opprobrium, non iustitiae sanctionem acceperunt. Ubi autem homines singulorum virorum et prudentia et potestate insignium moderamini atque imperio sese subiecerant, ut tutelam ab iis contra violentiam ac cuiusvis generis iniuriam vel peregrinorum vel indigenarum acciperent, eomet ipso declararunt, se legum ferendarum facultatem iis tribuisse, ita ut iniuriae sibi consciscerent opprobrium, si illorum decretis ac mandatis finem desideratum spectantibus obedientiam promissam denegarent. Praeterea regibus, legislatoribus ac iudicibus altior dignitas tribuebatur, quippe qui non solum e sua ipsorum potestate, sua prudentia suoque iudicio agerent, sed utpote a diis oriundi, ab ipso Iove edocti et insigni facultate ornati, Iovis decreta pronunciarent. Ut vero iustum usque ad altissimum fontem, nempe ad deorum voluntatem, persequeremur, rursus quaerendum erat, num praeceptis divinis iam eam ob causam altior dignitas tributa esset, quod a numinibus summa potentia praeditis venirent? Quod non factum fuisse vidimus. Sed quum propter indigentiam hominum, observantia in voluntatem deorum maxime commendaretur, pius et gratus animus in causa erat, cur non solum stulte et inconsiderate, verum etiam turpe actum haberetur, si quis numini deorum adversaretur. Deinde apparuit, quae iam ex sensu honesti et decori pro iustis habenda essent, ea deorum auctoritate munita sanctiora etiam evasisse. Quid multa, hominibus dubitare omnio non licuit, num ius et fas esset, quod dii mandassent, etiamsi singula quaedam deorum iussa cum sententiis vulgaribus de honesto non satis concinere viderentur. Nam quum dii hominibus prudentia et sapientia multo antecellerent, eorumque munus esset iustum rerum ordinem sustentare, summae insolentiae fuisset, si homines quacunque de causa diis repugnare voluissent. At quomodo eximia illa deorum dignitas consocianda erat cum iis, quae de litibus, rixis, conviciis, de invidia et odio deorum dearumque in fabulis habentur? Difficultates inde exortas poeta ita removere studuit, ut deos in civitatem consociaret sub Iovis imperio, qui praeside Iustitia, cuncta gubernaret et cui omnes obsequium ferre deberent. Sed quum nihilominus fieri posset, ut Iuppiter aliquando votis subitaneis indulgeret, voluntas eius supremae rerum naturae legi, cui in rebus dubiis auscultabat, submissa est.

Itaque non solum hominum, sed etiam deorum studia certis finibus, quos non sine opprobrio migrare liceret, terminabantur. Quibus si quis supersedere se posse arbitrabatur, *τοῦ δικαίου* laudis expers, *τοῦ ὑπερφιάλου* vituperium sibi adscivit.

Iam si quaestionem supra propositam de natura postulationis, cui obsequium gerere iustum sit, hic revocamus, hoc tantum ad eam absolvendam nacti eramus, ut intelligeremus obedientiae necessitatem moralem neque in mera poscentis potentia vel auctoritate, neque in sola multitudine eorum, qui unum idemque poscerent, neque in ipsa verecundia postulationi propter antiquitatem habenda ab Homero positam esse, sed

in uniuscuiusque conscientia de apto, decoro, honesto, quod deorum ipsorum assensu vigeret inque supremo rerum ordine constitutum haberetur. Sed hic subsistere nondum licuit, imo potius prae ceteris omnibus decori et pulchri sensu probatis iusti notio seorsim investiganda et quae qualisque eius natura et laus esset accuratius enucleanda fuit. Eum in finem narrationes de altercatione Achillis et Agamemnonis, de lite Antilochi et Menelai, denique de multifaria procorum iniuria paullo subtilius excutientes haec invenimus:

Hominis alicuius voluntas in controversiam cum alterius cuiusdam voluntate incidens propter repugnantiam mutuam utriusque voluntatis molestam et odiosam init conditionem. Ea autem non solum intercedit, ubi considerate et consulto aliquis voluntati alterius adversatur. Tunc enim nova ratione accedente odium modo augetur. Sed iam valet, si quis inconsiderate et fortuito cum alterius cuiusdam consilio ac voluntate in discordiam incidit. Iam quum non deceat in turpi ea conditione perseverare, *τοῦ δικαίου* est, omne studium in eo ponere, ut molesta et odiosa illa conditio removeatur, et, si fieri poterit, omnis controversiae in posterum repetendae occasio deleatur. Contra *τοῦ ἀδίκου* turpis sentiendi agendique ratio in eo cernitur, quod odiosam illam conditionem, in quam forte inciderit, evitare non vult, quantumvis alteri adversetur, sed hoc tantum spectat, ut quocunque modo suam voluntatem expleat. Aequum autem cum iusto ita coniungitur, ut et in reparandis iniuriis et in bonis secundum merita et dignitatem unius cuiusque distribuendis, quibus in rebus proprium habet locum, a iusto adiuvetur. Iniquae enim partitioni quum singuli renitantur, et quum lites moveant contra eum, qui aequum neglexerit, iusti viri est, ne tales lites excitet, aequam in partibus distribuendis usque servare rationem. Ut vero aliquo modo lites exortae componantur et singulorum appetitus ac postulata ad fines modicos revocentur, sententia iudicis ex iusto et aequo omnia constituentis desideratur. Huius autem sententiae litigantibus pro lege et norma voluntatis agnoscendae dignitas et praestantia primum quidem in eo posita est, quod turpem litem removet, deinde vero in eo, quod novarum de una eademque re litium et altercationum causam et occasionem tollit. Quicunque autem tali sententiae sese non submittit, apud homines in societate bene morata viventes in *τοῦ ἀδίκου* opprobrium incurrit.

Ex omnibus, quae huc usque exposuimus, apparet, veram iusti naturam e iustae voluntatis obiectis non cognosci. Haec enim non modo varia sunt, sed etiam indefinita. Atqui in omnibus quibusque iusti legibus ad varia voluntatis obiecta pertinentibus una eademque iusti ratio manere debet. Nempe verecundia et reverentia alius cuiuslibet voluntati, sive *ἀδιάφορον* appetat, sive honesti quid et pulchri amplectatur, eam ob causam eumque in finem habenda est, ut turpis et odiosa repugnantiae et altercationis mutuae conditio evitetur. Cuius verecundiae moralis necessitas augetur, si quis vel disertis verbis vel signis quibusdam manifestis promisit, se obsequium laturum. Id etiam in eum cadit, qui pravum iubenti annuit, quantumvis contra pravam voluntatem repugnantia simul tantum absit, ut iniusta habeatur, ut potius tanquam revera honesta commendetur. Patet enim, hominem iniustis aliorum studiis morem gerentem voluntati eorum, qui honeste ac decore eum agere iubeant, repugnare. Hinc consentaneum est, apud Homerum ad vitam honestam describendam praeter iusti notionem etiam nonnullas alias reperiri notiones, quas explicare non est huius commentationis. Unum tantum est quod notemus, difficultates dico in explicanda idea iusti apud Homerum cum aliis e rebus, tum potissimum inde nasci, quod poeta, sicut in vitae usu reperitur, iusti et aequi ideas sub uno eodemque nomine comprehendit easque haud raro commutat. At iniquum foret subtilitatem in discernendis notionibus, qua philosophum uti decet, a poeta flagitare, dummodo varias vitae agendae rationes ita depictas ab eo habemus, ut singularum de vita honesta idearum lineamenta satis appareant, nec genuia de pulchro et decoro in moribus iudicia corruptelam perpessa sint.

Iam Hesiodi de iusto et iustitia sententias paucis retractemus.

Sicut apud Homerum ita etiam apud Hesiodum, cui vitae ante actae conditio sensus contra omnem insolentiam et iniuriam acuerat, violentia et fraudes iusto maxime adversantur. Hominum dignitatem, qua a bestiis differant, in iuris conscientia ponit a Iove hominibus data, ut sibi invicem parcant. Ad

ius vero et iustitiam stabiliendam non satis est poetae ad sensum illum iusti internum provocare, sed gravi oratione ostendere studet, quantis poenis dii omnem iniustitiam persequantur et quibus adiumentis iustitiam foveant. In universum autem iustum et aequum rerum ordinem sustinendum imprimis Iovi tribuit, et summam iusti dignitatem in eo ponit, quod a Iove ipsius *Μήτιδος* deae prudentiam superante constitutum sit.

Cur autem aliquid iustum sit apud Hesiodum magis distincte quam apud Homerum ad turpitudinem litis evitandam refertur. Seiungit enim ille ab altero *ἔριδος* genere, quod displiceat, alterum honestum aemulationis genus, quo fiat, ut hominum certantium conamina minime sibi repugnent et repugnando se cohibeant, sed antecellendi studio se invicem promoveant. Si vero quis appetendo aliquid alterius cuiusdam voluntati forte adversatur, et repugnantiam animadvertens turpem et deformem utriusque voluntatis discordis statum non fugit, sed pervicax manet, et quolibet modo vel violentia vel fraude admissa voti compos fieri conatur, tum ab Hesiodo iniustus dicitur, eoque magis vituperatur quo magis repugnantia iam praevisa consulto ac praemeditate alterum laedit. *) Quae contentiones *τῶν χειροδικῶν*, quum in societate hominum ad iusti praecepta moderanda non ferendae sint, viros desiderant, qui singulorum studia iustos limites transeuntia ad mores revocent sententiisque conditionem eam constituant, quae certa et sine controversia inposterum valeat. Virtus autem iudicis in prudentia qua causam litis dignoscat, et in solertia ac fide qua rem diiudicet, ponitur. Inprimis igitur apud eum sincerum veritatis studium valere debet, fraudes et artes, a poeta sub imagine viae curvae depictae ei respuendae sunt. Eandem simplicitatem et animi sinceritatem colere etiam litigantibus religioni esse debet. Summa autem iniustitia in periurio sita est, eamque ob causam gravissimis suppliciis persequenda. Quod iam apud Homerum vidimus, iusti notionem cum aequo arcte coniungi, id etiam de Hesiodo valet, cf. Op. 224. At idea aequi per se sola

*) Eadem iniuste factorum gradatio sententiae subest Chilonis: *Ἀδικούμενος διαλλάσσου, ὑβριζόμενος δὲ τιμωροῦ.*

etiam descripta reperitur, Op. 353. Memoria dignae autem videntur sententiae de ultione Op. 709—711, quae limites aequi longe supergrediuntur et ab Homerica sentiendi ratione satis differunt. Cf. quae pag. 21 de Ulyssis ultione exposuimus.

Iam si hominum studia ratione supra exposita intra iusti, decori et aequi fines continentur nec sibi invicem adversantur, si iudicia publica litem exortam sine partium studio componunt, si leges latae bonorum hominum acclamatione celebrantur, si pax viget interna omnisque anarchia remota est: hominum in civitate consociatorum existit conditio splendidis illis laudibus ornata, quae *Εὐνομίας, Εὐκοσμίας, Εἰρήνης, Ἡσυχίας* nominibus continentur. Quae quidem iusti rerum publicarum status nomina et notiones, quarum nexum iam supra e Pindaro paucis descripsimus, ad sententias Doriensium de iusto accuratius perlustrandas nos perducunt.

Qua ratione Dorienses ideam iusti sibi informaverint.

Apud Dorienses idea iusti imprimis notionibns modici, opportuni et ornati *τοῦ μετρίου, καιρίου* et *κοσμίου* vel *εὐκόσμου* descripta reperitur. *) Quam antiquae illae notiones fuerint, iam e mythicis regum nominibus Eunomi et Eucosmi elucet, cf. orac. Pyth. apud Diod. excerpt. Vat. ed. Dindorf. III, p. 1 et 2; quam vulgares, multis sententiis septem qui feruntur sapientium confirmatur. Non licet hic singulas repetere. Etiamsi enim non dubium est, permultas ex illis sententiis revera e mente Dorica esse oriundas, tamen collectionibus Orellianis artis criticae lumina tantopere desunt, ut nihil adhuc certi inde effici possit. Desiderantur igitur

*) Cf. Herod. I, 65. Plato legg. V, 736 E. VI, 769 D. Cicero *τοῦ κόσμου* notionem politicam voce ornati reddit, cf. de Rep. I, 28 et quae in edit. Cruzeri et Moseri ad h. l. notantur.

viri docti in litteris Graecis satis versati, qui materiam congestam accurate retractent atque insuper quae in diversis libris passim reperiantur colligant, et secundum aetatis et indolis genuinae rationem disponant. Itaque statim ad Lacedaemoniorum mores et instituta transeamus, ut videamus, quid ad illustrandam ideam iusti vere Doricam inde proficiscatur.

Apud Lacedaemonios omnes normae vel regulae singulorum civium studia ac voluntates ad certum modum restringentes et omne arbitrii genus in vita publica cohibentes *τῷ νόμῳ* continebantur. Cuius *νόμου* a Lycurgo restituti finis fuisse traditur, ut lites, rixae, seditiones amoverentur, et iusta ac legibus moderata civitatis conditio ex anarchia existeret. Cf. quae de hac re disputat C. F. Hermann in antiquit. Lacon. pg. 2 sq. Quod vero non ita factum est, ut leges latae cum genuina gentis Doricae indole non consentirent, sed potius ut quae depravatis moribus apud Spartanos paene ex usu venerant, ex intima conscientia recti et iusti vere Dorica repetita diserte praeciperent. Narratur enim Lycurgus ad rectam rerum publicarum privatarumque rationem restituendam in eas Doriensium civitates, ubi mores, usus vitae et instituta antiquitus tradita incorrupta adhuc compererisset, peregrinatus fuisse, eosque redux in patria redintegrasse. *) Praeterea legislator ad leges ratas faciendas cives eo adegit, ut legibus probatis obsequium promitterent. Insuper cives iam a pueris in singula *τοῦ νόμου* praecepta imbui curavit, ne leges tamquam alienigenae adultis imperarent, sed ut severa morum disciplina edoctorum sensui intimo et proprio quam maxime convenirent. Qua mente etiam praecepisse traditur Lycurgus: *μὴ χρῆσθαι νόμοις ἐγγράφοις.* Plut. vit. Lyc. c. 13, cf. C. F. Hermann Staatsalt. §. 23, 14. Itaque Terpandrus, qui primus singulas *ῥήτρας* versibus tradidisse fertur, cf. O. Mueller Dor. I. p. 134, Spartam celebrat his:

---

*) Veterem illam legum atque institutionum indolem significans Pindarus Doriensium et inprimis Lacedaemoniorum civitatem *Ὕλλου καὶ Αἰγιμιοῦ στρατός* fragm. Isthm. 4. *Αἰγιμιοῦ τέθμοι* Pyth. I, 64. nominat cf. Boeckhius ad h. l. et Plut. vita Ages. c. I.

Ἐνθ᾽ αἰχμά τε νέων θάλλει καὶ Μοῦσα λίγεια
καὶ δίκα εὐρυάγυια

Plut. vit. Lyc. c. 21.

Revera autem Spartanos observantia legum excelluisse, inter Graecos constabat. Cf. Xen. mem. 44, 15. Arist. pol. VIII, 1, 3, et quae Demaratus Xerxi dicit apud Herod. VII, 104: *Λακεδαιμόνιοι ἐλεύθεροι γὰρ ἐόντες, οὐ πάντα ἐλεύθεροί εἰσι, ἔπεστι γάρ σφι δεσπότης νόμος, τὸν ὑποδειμαίνουσι πολλῷ ἔτι μᾶλλον, ἢ οἱ σοὶ σέ.* Hinc non mirum est, quod omnes Dorienses de suis legibus suarumque civitatum conditione superbirent et *τοῦ Δωριέως* nomen emphatica ratione pronunciarent. Exemplum praebet superba Hermocratis, Syracusanorum legati, oratio in Camarinos habita, Thuc. VI, 77: *Ἀλλ᾽ οὐ γὰρ δὴ τὴν τῶν Ἀθηναίων εὐκατηγόρητον οὖσαν πόλιν νῦν ἥκομεν ἀποφανοῦντες ἐν εἰδόσιν ὅσα ἀδικεῖ, πολὺ δὲ μᾶλλον ἡμᾶς αὐτοὺς αἰτιασόμενοι, ὅτι ἔχοντες παραδείγματα τῶν τε ἐκεῖ Ἑλλήνων, ὡς ἐδουλώθησαν οὐκ ἀμύνοντες σφίσιν αὐτοῖς, καὶ νῦν ἐφ᾽ ἡμᾶς ταὐτὰ παρόντα σοφίσματα, Λεοντίνων τε ξυγγενῶν κατοικίσεις καὶ Ἐγεσταίων ξυμμάχων ἐπικουρίας, οὐ ξυστραφέντες βουλόμεθα, προθυμότερον δεῖξαι αὐτοῖς ὅτι οὐκ Ἴωνες τάδε εἰσίν, οὐδ᾽ Ἑλλησπόντιοι καὶ νησιῶται, οἳ δεσπότην ἢ Μῆδον ἢ ἕνα γέ τινα ἀεὶ μεταβάλλοντες δουλοῦνται, ἀλλὰ Δωριῆς ἐλεύθεροι ἀπ᾽ αὐτονόμου τῆς Πελοποννήσου τὴν Σικελίαν οἰκοῦντες.* De Doriensibus propter originem superbientibus Ionesque despicientibus cf. quae memoravit Valckenaer ad Herod. III, 56. V, 87. O. Müll. Dor. II, p. 403, Thucid. IV, 64. 68. In Athenienses autem eam maxime ob causam odium conceperunt, quod illi sociorum leges patrias abrogarent, Thuc. VIII, 76. Quamobrem nihil antiquius habebant Spartani in pactis cum Atheniensibus de Dorica aliqua civitate factis, quam ut *αὐτονομίαν* ei servarent. Ita de Delphis haec constituerunt: *Δελφοὺς αὐτονόμους εἶναι καὶ αὐτοτελεῖς καὶ αὐτοδίκους καὶ αὐτῶν καὶ τῆς γῆς ἑαυτῶν κατὰ τὰ πάτρια*; similia de Argivis ap. Thucyd. V, 77. Eadem lege foedus civitatum Peloponnesiacarum cum Spartanis contra Athenas consociatarum ictum est, Thucyd. V, 79, ut *αὐτόνομοι καὶ αὐτοπόλιες* manerent, *τὰν αὐτῶν ἔχοντες, καττὰ πάτρια δίκας διδόντες τὰς ἴσας καὶ ὁμοίας.* Tales civitates *οὐτόδικαι* dicebantur, O. Müll. Dor. I, p. 183 earumque

conditio *ἐλευθερίας* nomine significabatur. Eo enim sensu in bello Peloponnesiaco Brasidas voce utebatur libertatem sociis promittens, Thuc. IV, 86. 87. 114. Quae quum in *ὀλιγαρχίᾳ ἐπιτηδείᾳ* poneretur, non ubique placuit, Thuc. IV, 74. V, 81.*) Hinc apparet, cur Dorienses maximeque Spartani tyrannidem unius voluntatem omnibus civibus ut legem praescribentem usquequaque infestaverint nihilque magis curaverint quam ut in Peloponneso tyrannorum imperium delerent, Thuc. I, 18. Suos autem ipsorum reges, antequam imperium iis traderent, *νόμον* ut servarent sacramento obstrinxerunt, qui mos apud posteros diu obtinuisse traditur. Cf. Hermann. Staatsalt. §. 23. 15. Arist. pol. III, 9, 2. *ἡ γὰρ ἐν τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ δοκεῖ μὲν εἶναι βασιλεία μάλιστα τῶν κατὰ νόμους.***)

Non minus odiosa Spartanis erat democratia. Nam quum in democratiae natura situm esse videretur, ut in legibus ferendis et iure publico constituendo omnium civium voluntas pariter respiceretur, luce clarius iis erat, fieri non posse, quin pebliscitis, per hominum ex plebe multitudinem longe maiorem, nobiliorum consilia everterentur eorumque iura antiquitus probata derogarentur. Praeterea quod inconstantia atque intemperantia plebeiorum solidum rerum publicarum ordinem haud raro in summum discrimen deiectum viderant, iustitiam democraticam non solum cum vera iusti natura pugnare, verum etiam civitatis saluti adversari existimabant. Itaque iuris ideam non ad *ἰσότητα κατ' ἀριθμὸν* sed *κατ' ἀξίαν* referri statuerunt. cf. Arist. pol. V, 1, 7. VI, 1, 6. Plato Gorg. p. 508 A, Plutarch. quaestion. conviv. lib. VIII, quaest. 2. cap. 2. p. 876 ed. Didot: *Ὁ γὰρ Λυκοῦργος, οἶσθα δήπουθεν, ὅτι τὴν ἀριθμητικὴν ἀναλογίαν, ὡς δημοκρατικὴν καὶ ὀχλικὴν οὖσαν, ἐξέβαλεν ἐκ τῆς Λακεδαίμονος· ἐπεισήγαγε δὲ τὴν γεωμετρικὴν, ὀλιγαρχίᾳ σώφρονι καὶ βασιλείᾳ νομίμῃ πρέπουσαν· ἡ μὲν γὰρ ἀριθμῷ τὸ ἴσον ἡ δὲ λόγῳ τὸ κατ' ἀξίαν ἀπονέμει· καὶ οὐ πάντα ὁμοῦ μίγνυσιν, ἀλλά ἐστι χρηστῶν καὶ πονηρῶν εὔσημος ἐν αὐτῇ διάκρισις, οὐ ζυγοῖς οὐδὲ κλήροις, ἀρετῆς δὲ καὶ κακίας διαφορᾷ τὸ οἰκεῖον καὶ διαλαγχανόντων.* De *περιοίκων* et Helotarum conditione prorsus taceamus. Nam ut omnis Graecia a recentiorum quorundam sententia de nativo hominum iure prorsus aliena erat, ita Spartanis minime in religionem venit vi subiectos dure tractare, imo ius quoddam mythicum in auxilium vocarunt quo violentiam, qua pristinos Peloponnesi incolas sibi subiecerant et e sedibus depulerant, defenderent cf. Tyrt. fragm. I.*) Celebrata igitur illa *αὐτονομία* et *ἰσονομία* tantum abfuit, ut omnibus civitatis incolis pariter tribueretur, ut ad eos tantum pertineret, qui revera cives essent, quorum dignitas et ius virtute e generis nobilitate maxime oriunda terminaretur. Cf. Arist. IV, 6, 5. *ἡ γὰρ εὐγένειά ἐστιν ἀρχαῖος πλοῦτος καὶ ἀρετή*, et Plut. de Nobil. apud Stobaeum serm. 86): *τί γὰρ ἄλλο νομίζομεν εἶναι τὴν εὐγένειαν, εἰ μὴ παλαιὸν πλοῦτον, ἢ παλαιὰν δόξαν, οὐδέτερον ἐφ' ἡμῖν ὄν. κ. τ. λ. Ἐλευθερία* vero civilis in eo posita erat, ut singuli sponte se iis submitterent eaque tuerentur, quae *τοῖς νόμοις παλαιοῖς* ordinata essent, Herod. VII, 104 et Thuc. III, 62.

Institutionum autem legumque publicarum dignitatem non solum in eo posuerunt Spartani, quod utpote a maioribus traditae vetustate sancitae essent ac genuinum gentis Doricae ingenium redolerent, imo ex altiore et sanctiore fonte derivarunt. Erant enim de sententia Doriensium dii ipsi maximeque Apollo Delphicus, *θεὸς γενέθλιος*, antiquarum civitatium Doricarum conditores. Ea mente Tyrtaeus de Spartanorum civitate condita haec canit:

Φοίβου ἀκούσαντες Πυθωνόθεν οἴκαδ' ἔνεικαν
μαντείας τε θεοῦ καὶ τελέεντ' ἔπεα·

---

*) De discrimine inter *ὀλιγαρχίαν ἰσόνομον* et *δυναστείαν ὀλίγων ἀνδρῶν* cf. Thuc. III, 62 et Arnoldium ad h. l. O. Mueller Orch. p. 407, Aristot. pol. IV, 5.

**) Pindarus tyrannidem improbat, quod ultra fines bonorum hominibus a diis concessorum, *θεόθεν καλῶν*, transeat. Pyth. XI, 56. Ubi vero tyrannus exstat, consilium ei dat, ut aequa et iusta ratione imperio utatur. Pyth. I, 85 *νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν*, id quod Pyth. IV, 153 *εὐθύνειν λαοῖς δίκας* dicitur. Imprimis autem ei suadet, ut nobiles sibi et populo servet; esse enim eos quasi ramos querci. Cf. Pyth. IV, 263. 269 et Boeckh. ad h. l.

*) De iure mythico, quo vice versa Argivi *παλαιὰν ἡγεμονίαν*, Thuc. V, 96, contra Spartanos defendere studuerunt cf. Herod. VII, 148 et responsionem Lacedaemoniorum ib. 149, coll. Diod. XII, 75.

ὧδε γὰρ ἀργυρότοξος ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων
χρυσοκόμης ἔχρη πίονος ἐξ ἀδύτου·
ἄρχειν μὲν βουλῆς θεοτιμήτους βασιλῆας,
οἷσι μέλει Σπάρτης ἱμερόεσσα πόλις·
πρεσβυγενεῖς τε γέροντας· ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας,
εὐθείαις ῥήτραις ἀνταπομειβομένους.
μυθεῖσθαι δὲ τὰ καλὰ καὶ ἔρδειν πάντα δίκαια,
μηδέ τι βουλεύειν τῇδε πόλει τι κακόν·
δήμου δὲ πλήθει νίκην καὶ κάρτος ἕπεσθαι
Φοῖβος γὰρ περὶ τῶν ὧδ' ἀνέφηνε πόλει.

Cf. Eunomias fragm. ap. Plut. vit. Lyc. c. 6 et apud Diodorum Vol. III p. 3 ed. Dindorf. Etiam Pindarus narrat Pyth. IV, 56. Apollinem colonos Doricos Cyrenen duxisse. Itaque, quum rerum publicarum et privatarum ratio a dei *θεμίσταις* penderet, *ἐλευθερία* vere Dorica *θεόδματος* nominabatur. Cuius *ἐλευθερίας* praestantia a libertate democratia, quam *τὸν λάβρον στρατὸν* poeta dicit, Pyth. II, 87, longe remota, in ipsius Apollinis dignitate posita erat, in qua informanda Dorienses proprium pulchri et honesti sensum sequebantur. Quod quam verum sit oraculo supra laudato et plus una Pindari sententia probatur. Ita Pindarus Ol. IX, 35 sq. opinionem e fabula de pugna Herculis cum Neptuno forte oriundam, quasi dii unquam ab hominibus, qui nonnisi diis prospicientibus *ἀγαθοί τε καὶ σοφοὶ* essent, vinci possent, hoc modo reiicit:

ἀπό μοι λόγον
τοῦτον, στόμα, ῥῖψον·
ἐπεὶ τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς
ἐχθρὰ σοφία, καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν
μανίαισιν ὑποκρέκει.
μὴ νῦν λαλάγει τὰ τοιαῦτ'· ἔα πόλεμον μάχαν τε πᾶσαν
χωρὶς ἀθανάτων.

Ut igitur, quae minus honeste facta viderentur, a diis removeret, singulas fabulas commutare non dubitavit, Ol. I. 25 sq. Pyth. III, 26 sq. Magis enim decere honesta de diis narrare, quam quae in fabulis haberentur usque sequi. Ita homines in minorem culpam incasuros esse Ol. I, 35:

ἔστι δ' ἀνδρὶ φάμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά· μείων γὰρ αἰτία.

Dignitas autem Apollinis cum in eius sapientia posita est, Pyth. IX, 44. 45:

ὃς πάντων τέλος
οἶσθα καὶ πάσας κελεύθους.

tum in eo, quod rectum modum, iustam legem, harmoniam, pacem, animi serenitatem introduceret, omnemque intemperantiam, seditionem, discordiam, moestamque animi conditionem in odio haberet. Cf. praeclarum Pindari carm. Pyth. I. de *φόρμιγγος* Apollinis vi placante vs. 5 — 19, et Pyth. V, 62 — 63, ubi Apollo celebratus est, quod placidam animo insereret legem

ἀπόλεμον ἀγαγὰν
ἐς πραπίδας εὐνομίαν.

Memoratu etiam dignus est Antoninus Liberalis, qui Transf. c. 4. narrat Ambraciotas Apollinem *σωτῆρα Πύθιον* singulis diebus celebrasse, quod crebras seditiones internas placasset et ius ac leges induxisset: *τὸ δὲ ὅλον αὐτὸς ἐν τῇ πόλει παῦσαι πλειστάκις ἐμφύλιον πόλεμον καὶ ἔριδας καὶ στάσιν ἐμποιῆσαι ἀντὶ τούτων δ' εὐνομίαν καὶ θέμιν καὶ δίκην.*

His de natura iusti apud Dorienses in universum expositis ad singula quae restant transire liceat. Maxime vero dolendum est, quod per temporum invidiam poeseos in qua Dorienses excellebant, melicae, sine dubio nostrum in usum largam materiam praebiturae specimina tam pauca et tam trunca diem tulerint, ut praeter pauca e Pindaro adhuc afferenda, nihil habeamus nisi Theognidis Megarici sententias multum in modum disturbatas et interpolatas e quibus vetus Doriensium de iusto ac iustitia doctrina accuratius erui queat.

Quemadmodum supra vidimus in republica Spartanorum nonnisi optimates in summo atque integro iure obtinendo pares fuisse habitos, ita etiam consentaneum est, veram viri iusti omnibusque numeris absoluti imaginem a Doriensibus hominis e nobili genere oriundi natura et indole adumbratam fuisse, siquidem iustitiae conditiones imprimis inter nobiles et optimates exstare existimatum est. Sunt enim illi prae reliquis morum et legum a maioribus traditorum patroni et defensores. Pind. Pyth. X, 71. 72:

ἐν δ' ἀγαθοῖσι κεῖται
πατρώϊαι κεδναὶ πολίων κυβερνάσιες.

Ea mente de Batti genere poeta praedicat Pyth. V, 51 sq.:

ὁ Βάττου δ' ἕπεται παλαιὸς ὄλβος ἔμπαν τὰ καὶ τὰ νέμων,
πύργος ἄστεος ὄμμα τε φαεννότατον
ξένοισι.

Huc etiam pertinet sententia Theognidis vs. 103. 104 ed. Welkeri:

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στιν,
πᾶς δέ τ' ἀνὴρ ἀγαθός, Κύρνε, δίκαιος ἐών.

Hac *τοῦ ἀγαθοῦ* vel *τοῦ ἐσθλοῦ* notione primum generis nobilitas significatur, eoque sensu *τῷ κακῷ* vel *δειλῷ* opponitur. Cf. Welkeri proleg. ad Theogn. p. XXI sq. Deinde etiam virtutes cum origine nobili coniunctae sub illa notione intelliguntur, ut vs. 695. 696. ubi *κενεόφρονι δήμῳ* opponitur *ἐσθλὸς ἀνήρ*. Quae sententia de virtutibus quasi innatis a tota Graecorum antiquitate non aliena, maximopere autem inter Dorienses sustentata, singulari diligentia a Theognide tractatur. Quam ob causam operae pretium videtur, quid ea de re statuerit, accuratius explicare.

Quantum sit quod origini tribuat Theognis, tamen praeiudicatam illam opinionem de virtutibus nativis, quasi homines nobili vel ignobili genere oriundi iam per se boni vel mali sint, non sine conditione adiecta admittit. Licet enim de sententia poetae vs. 845 sq. non magis, quam e cepa marina, *σκίλλα*, rosae vel hyacinthi unquam proveniant, *ἐκ δούλης τέκνον ἐλευθέριον* oriatur, si quidem caput servile nunquam se erigat, sed semper demissum sit et curva cervice praeditum, licet etiam animo maxime iniquo ferat, quod in ipsius patria homines nobiles cum ignobilibus coniugio se misceant, quum iam in re pecuaria equi et asini nonnisi nobiles admittantur: tamen generis nobilitas ei nondum sufficit ad virum probum et iustum efficiendum, sed insuper bonam mentem requirit. Quod si minus verum esset, non tam crebro fieret, ut *ἀγαθοὶ* pravos liberos *μυθοῖσι σαόφροσι* obsequium denegantes haberent. Qua de causa ad probum genus educandum non sufficere, libros procreare et alere. Hoc facile fieri. Multo difficilius esse *φρένας ἐσθλὰς ἐνθέμεν*. Si Aesculapi discipulis a diis datum esset *ἰᾶσθαι κακότητα καὶ ἀτηρὰς φρένας ἀνδρῶν*, magnam mercedem deportarent. Vice versa *κακοὶ* non iam ab incunabulis *πάντως κακοὶ* dicuntur a poeta,

sed societate demum et usu cum hominibus pravis depravari, quo:

ἔργα τε δείλ' ἔμαθον καὶ ἔπη δύςφημα καὶ ὕβριν
ἐλπόμενοι κείνους πάντα λέγειν ἔτυμα

vs. 253. 254 cf. vs. 1075 *ἐκ καχεταιρίης κακὰ γίγνεται.*

Quae cum ita sint, amicitiam cum *κακῷ ἀνδρὶ* non incundam esse, sed talem hominem ut portum periculosum fugiendum. Nam neque *χάριν* nec memoriam bonorum acceptorum nec *πίστιν* apud eum reperies, cf. vs. 523 sq. 340 sq. 352 sq. 346, sed fraudes tantum et perfidiam, vs. 887 sq. E contrario inter *ἀγαθοὺς* multo magis fidem, gratum animum et indulgentiam habebis, vs. 335 sq. coll. 345: 439 sq. 445 sq., 413.

Praeterea, quum *οἱ ἀγαθοὶ* donis a diis datis contenti sint, 137 sq. et quae bona aut mala acceperint, *ῥηϊδίως φέρειν* sciant, vs. 584. 603—608, siquidem non deceat mortales cum diis immortalibus rixari *), nusquam eos sanam

---

*) Quae sententiae a Pindaro egregie comprobantur. Cf. Isthm. III, 4. et Pyth. I, 41 sq. ubi monet poeta, homines sapientiae ac benevolentiae deorum cuncta debere, sine diis eos nihil esse, sed cum simulacris per somnum oblatis comparandos, Pyth. VIII, 92. Omnicuique homini certum vitae ac studiorum modum, quem usque observare deceat, praescriptum esse, cf. Ol. XIII, 47. 48.

ἕπεται δ' ἐν ἑκάστῳ
μέτρον· νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος,

et Pyth. II, 34 — *χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον.* cf. Pyth. III, 80 sq., fragm. 49 ap. Boeckh. *Ἄλλα δὲ ἄλλοις νόμιμα, σφετέρα δὲ κεῖται ἑκάστοις.* Facultatibus singulis tributis bene utendum esse Nem. I, 25:

— *Τέχναι δ' ἑτέρων ἕτεραι· χρὴ δ' ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι φυᾷ,*

deosque invocandos, ut susceptis propitii adsint, Nem. X, 29. 30. Qui vero modum a Deo constitutum transgredi velint, eos *φθόνον* in deos habere et contra eos *ἐρίζειν* poeta affirmat. Licet enim genus humanum origine cum diis coniunctum sit, nihilominus esse nefas, si diis aequiparare se velint homines, nam *θνατὰ θνατοῖσι πρέπει*, Isth. IV, 16. Hominem *ἀγαθοῖς* vel *ἀρεταῖς* a diis datis contentum esse debere, neque in iis se iactare, sed gratum animum servare iis, a quibus acceperit, fragm. 68 ap. Boeckh. Res enim secundas nonnisi pietate solidas esse, Isth. III, 5, insolentia mox mutari, id quod Bellerophontis, Isth. VI (VII), 43 sq. et Ixionis sorte, Pyth. II, 21 sq. a poeta probatur, nam

τὸ δὲ πὰρ δίκαν
γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτά.

Isth. VI (VII), 47. 48. Ol. II, 15 sq.

mentem, *νόον*, amittere poeta docet vs. 569, sed bene scire *τὸ καίριον* observare, vs. 633 sq. et *πάντως μέτρον ἔχειν* vs. 642. Contra *τὸν δειλὸν* neque in rebus secundis nec in adversis *θυμὸν ὁμῶς μίσγειν* callere, vs. 571—574, in rebus adversis ira efferri, *δειλῶν τοι κραδίη γίγνεται ὀξυτέρη*, vs. 601. et quum *ἰθεῖα γνώμη* iis non insit, *ἄδικα* eos moliri; in rebus autem secundis eos facile superbire, nam

τίκτει τοι κόρος *) *ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται*
ἀνθρώπῳ, καὶ ὅτῳ μὴ νόος ἄρτιος ᾖ.

vs. 109. 110. Iam quum de sententia poetae *γνώμη* desit *τοῖς κακοῖς καὶ δειλοῖς*, quid mirum, quod neque *δίκας* nec *νόμους* intelligant, sed ubi unquam imperium adepti sint, *ἐκτραπέλοισι νόμοις* civitatem regant, vs. 23 sqq.

Εἰκὸς τὸν κακὸν ἄνδρα κακῶς τὰ δίκαια νομίζειν,
μηδεμίαν κατόπισθ' ἁζόμενον νέμεσιν.
δειλῷ γάρ τ' ἀπάλαμνα βροτῷ πάρα πόλλ' ἀνελέσθαι
πὰρ ποδὸς, ἡγεῖσθαί θ' ὡς καλὰ πάντα τιθεῖ.

Quod quam verum sit, patriae conditionem satis superque ostendere. Ibi enim *κακοὶ* modo descripti

κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν
ἐσθλόν, ὅτις φυλακὴν εἶχεν ἐπισταμένως·
χρήματα δ' ἁρπάζουσι βίῃ, κόσμος δ' ἀπόλωλεν,
δασμὸς δ' οὐκέτ' ἴσως γίγνεται ἐς τὸ μέσον·
φορτηγοὶ δ' ἄρχουσι, κακοὶ δ' ἀγαθῶν καθύπερθεν.

---

*) De ratione, quae intercedat *κόρον* inter et *ὕβριν* cf. Pindar. Ol. XIII, 10 coll. oracul. Bacidis ap. Herod. VIII, 77 et schol. ad Ol. XIII, 14. Thierschiumque ad h. l. Aliam explicationem habes ap. Menagium ad Diog. Laert. I, 59. *Κόρον* cum divitiis coniunctum non solum studia virtutibus excellendi impedire, verum etiam pudorem, ne turpe aliquod committatur, tollere affirmatur. Quod vero honorem afferat, *δόξαν φέρει*, non situm esse in divitiarum possessione, sed in bonorum usu, quem *αἰδὼς* iubeat, honesto, Nem. IX, 34. Ea ratione fieri posse, ut de iusti sententia studia moderentur, id quod *θεμίσσασθαι ὀργὰς* dicitur, Pyth. IV, 141. Itaque in universum decere *κτεάνων ψύχας ἔχειν κρέσσονας*. Eamque ipsam ob causam poeta Aristomenem victorem Aegineticum laudat, quod *κρέσσονα πλούτου μέριμναν* habuerit, Pyth. VIII, 92, et Thrasybulum, qui

νόῳ δὲ πλοῦτον ἄγει
ἄδικον οὔθ' ὑπέροπλον ἥβαν δρέπων.

Pyth. VI, 47. 48.

vs. 735—739. Hic loci *αἰδὼς* periit et *ἀναιδείη* atque *ὕβρις τὴν δίκην* superaverunt. Abiit *Πίστις*, magna dea, abiit *Σωφροσύνη ἀνδρῶν*, *Χάριτες* terram, in qua neque iuramenta vim obtinerent nec deorum timor valeret, reliquerunt, vs. 39—44. Ut vero melior patriae status redeat, nihil magis in votis habet poeta, quam ut optimates rursus imperium obtineant, nam nonnisi

ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς ἕπεται γνώμη τε καὶ αἰδώς.

Itaque maximopere cupit, ut *ἐσθλὸς ἀνὴρ*, etiamsi non magnum inde consequatur honorem, *ἀκρόπολις* sit et *πύργος κενεόφρονι δήμῳ*, vs. 695. 696. Affirmat enim vs. 707 sq.

Οὐδεμίαν πω, Κύρν', ἀγαθοὶ πόλιν ὤλεσαν ἄνδρες·
ἀλλ' ὅταν ὑβρίζειν τοῖσι κακοῖσι ἅδῃ,
δῆμόν τε φθείρωσι, δίκας τ' ἀδίκοισι διδῶσιν
οἰκείων κερδῶν εἵνεκα καὶ κράτεος

Quam ob causam *γνώμη* praestantissimum deorum donum habetur. Beatum illum, qui eam possideat, nam nihil magis ad perniciem abducere, quam *κόρον* et *ὕβριν*. Propter *ὕβριν* totas civitates periisse vs. 721 sq. Contra *αἰδῶ* ab omni turpi et iniusto homines arcere, vs. 905. 906. nec prastantiorem thesaurum parentes liberis relinquere posse, quam *αἰδῶ ἀγαθοὺς ἄνδρας* subsequentem vs. 465. 466.

Iam si poeta *τοῦ μετρίου* vel etiam *τοῦ καιρίου*, vs. 139. 633. 777. et *μοίρης*, vs. 480. notionibus non solum optimam fortunarum conditionem, vs. 931. sed etiam praestantissimam agendi rationem significat, facile apparet, ipsum de iusto et honesto iudicium illis notionibus involutum ad fontem internum, ad pudoris nempe sensum revocari. Alioquin iusti modi hominum studia moderantis notio vacua maneret et *παραβασίης* vel *ὑπερβασίης*, vs. 178. 183. *κόρου* et *ὕβρεως* opprobrium nihil certi haberet, ad quod referretur. Sin autem quis intellexit, quid honestum sit et decorum, iusta eius agendi ratio in eo ponitur, ut assidue id persequatur, nec unquam a recta via declinet. Cf. 691. 692:

Εἶμι παρὰ στάθμην ὀρθὴν ὁδὸν, οὐδετέρωσε
κλινόμενος· χρὴ γάρ μ' ἄρτια πάντα νοεῖν.

et vs. 219. 220:

Τόρνου καὶ στάθμης καὶ γνώμονος ἄνδρα θεωρόν
εὐθύτερον χρή μιν, Κύρνε, φυλασσέμεναι.

Itaque vs. 507. 508. homini, qui *τὰ δίκαια φρονεῖ, ἰθεῖα γνώμη* tribuitur; vs. 110 *νόος ἄρτιος* insolentiae opponitur, Deorumque *δίκη* notione *εὐθείας* significatur. Fraudes contra, mendacia et periuria, pari modo, quo apud Hesiodum vidimus, sub imagine curvi et obliqui exhibentur.

Denique necessitudo notionis *σωφροσύνης* cum *δικαιοσύνῃ* apud nostrum observanda est, cf. vs. 133—136:

— *δικαίως χρήματα ποιοῦ*
σώφρονα θυμὸν ἔχων ἐκτὸς ἀτασθαλίης,
αἰεὶ τῶνδ' ἐπέων μεμνημένος. ἐς δὲ τελευτήν,
αἰνήσεις μύθῳ σώφρονι πειθόμενος·

quibus addas, quae vs. 153—156 leguntur. *Σωφροσύνη* igitur utrumque complectitur, cum animi ad honestum et decorum attentionem et directionem, tum cupiditatum compescendarum ne iusti et liciti fines transeantur facultatem. Quam ob rem poeta suadet, ne quis nimis festinanter agat vs. 447—450, sed prudenter et circumspecte ad opus perficiendum progrediatur. Cf. vs. 455—456.

Βουλεύου δὶς καὶ τρίς, ὅ τοι κ' ἐπὶ τὸν νόον ἔλθῃ·
ἀτηρὸς γὰρ ἀεὶ λάβρος ἀνὴρ τελέθει.

Iam si temperantia cum iustitia coniuncta in anima vel civitate sedem obtinet, arbitrio et effrenatae cupiditatum licentiae nullus locus datur, sed studia singula optimis legibus coercita et moderata ornatum illum harmonicum, *τοῦ κόσμου* notione significatum, efficiunt. Sed res haec ad philosophiam Pythagoricam, in qua imprimis *τοῦ κόσμου* notio exculta reperitur, nos transducit.

De notione iusti apud Pythagoram.

Pythagorae doctrinam de moribus, de deorum cultu et de civitate genuinam Doriensium sentiendi rationem mirum in modum redolere, iam O. Müllerus probare studuit, cf. Dorier II, 393. Proleg. zu einer wiss. Mytholog. pag. 383. et prospero cum successu accuratius exposuit Krische in singulari libro praemio ornato: De societatis a Pythagora in urbe Crotoniatarum conditae scopo politico, Gottingae a. 1831. edito, cf. pag. 12 sq. 75 sq. Quae autem de Orphicis praeceptis cum doctrina Pythagorica consociatis narrantur apud Herod. II, 81. ad posteriorem quam Pythagorae ipsius aetatem pertinent, et certe audacius quam verius Lobeckius in Aglaophamo pag. 244 sq. eximia eruditione demonstrare conatus est, Ophica e Pythagorae societate fluxisse; cf. quae contra monet Krische l. l. p. 34 sq. 76 sq., quibus addas Boeckhii Philol. p. 37, O. Müller Proleg. p. 382 sq.

Quod igitur ad Pythagorae de iusto et iustitia doctrinam attinet, medias in res nos perducit locus ille classicus in Aristot. Magn. Moral. I, 1. ubi Pythagoras primus de virtute disseruisse narratur, sed minus recte: *τὰς γὰρ ἀρετὰς εἰς τοὺς ἀριθμοὺς ἀνάγων οὐκ οἰκείαν τῶν ἀρετῶν τὴν θεωρίαν ἐποιεῖτο.* Exempli gratia *δικαιοσύνης* definitionem Pythagoricam Aristoteles affert, quasi sit *ἀριθμὸς ἰσάκις ἴσος.* Quod quomodo intelligendum sit, Aristoteles Eth. Nic. V, 8. ita explicat: *δοκεῖ δέ τισι καὶ τὸ ἀντιπεπονθὸς εἶναι ἁπλῶς δίκαιον, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι ἔφασαν· ὡρίζοντο γὰρ ἁπλῶς τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ,* et Magn. Moral. I, 34: *ἐκεῖνοι* (sc. Pythagorei) *μὲν γὰρ ᾤοντο δίκαιον εἶναι, ἅ τις ἐποίησε, ταῦτ' ἀντιπαθεῖν.* Plura habet de iustitia Pythagorica auctor apud Iambl. vitae Pythagor. c. XXX. §. 167, quem Kiessling antiquum quendam Pythagoreum e Platonis aetate esse putat. Sed quum iustitiam in communione bonorum ponat: *ἀρχὴ τοίνυν ἐστὶ δικαιοσύνης μὲν τὸ κοινὸν καὶ ἴσον, καὶ τὸ ἐγγυτάτω ἑνὸς σώματος καὶ μιᾶς ψυχῆς ὁμοπαθεῖν πάντας καὶ ἐπὶ τὸ αὐτὸ τὸ ἐμὸν φθέγγεσθαι καὶ τὸ ἀλλότριον,* a vero sensu Pythagorico aberravit. Nam iustum non-

nisi in bonorum communione situm esse, ne e severis quidem Pythagorae praeceptis de amicorum officio invicem praestando evincitur. Etiam descriptio iustitiae sub imagine trianguli rectangularis, ib. §. 117, ex theoremate inclyto Pythagorae posterioris cuiusdam philosophi lusus esse videtur. Similia Brandisius collegit: Geschichte der Griech.-Röm. Phil. I, p. 473, not. r. Magis autem ad mentem Pythagorae accedere videtur, quod §. 180. de iustitia in consuetudine cum aliis exercenda commemoratur. Quum enim unumquemque diversos aliorum aetatis, dignitatis et necessitudinis gradus bene observare deceat nec iuveni eadem ratione liceat in senes, quam in aequales se gerere, iusta et decora agendi ratio *τοῦ εὐκαιρίου* notione definitur. Maxime vero Pythagorae philosophiam sententia redolet §. 175. prolata, anarchiam malorum omnium esse summum: *μηδὲν εἶναι μεῖζον κακὸν ἀναρχίας· οὐ γὰρ πεφυκέναι τὸν ἄνθρωπον διασώζεσθαι μηδενὸς ἐπιστατοῦντος.* Quapropter perseverandum esse *ἐν τοῖς πατρίοις ἔθεσί τε καὶ νομίμοις κἂν ᾖ μικρῷ χείρω ἑτέρων* §. 176, nam neque utilitati neque saluti publicae eos consulere, qui novarum rerum studio ducti veteres leges novis commutare velint. De altiore iustitiae origine operae pretium est conferri, quae Pythagorae tribuuntur §. 174: *ἔτι τοίνυν ἀνυσιμώτατον πρὸς τὴν τῆς δικαιοσύνης κατάστασιν ὑπελάμβανεν εἶναι τὴν τῶν θεῶν ἀρχὴν, ἄνωθέν τε ἀπ᾽ ἐκείνης πολιτείαν καὶ νόμους, δικαιοσύνην τε καὶ τὰ δίκαια διέθηκεν.* Quod vero de obedientia iusto habenda c. 9. §. 48. docetur, non eos vere iustitiam amplecti, qui poenam metuentes, sed qui pudore ducti, *αἰσχυνόμενοι τὴν τοῦ τρόπου καλοκαγαθίαν* legibus morem gerant, id non solum in Pythagorae sed etiam in multorum aliorum doctrina habetur. Ipse Democritus dixisse fertur, frgm. 117 ap. Mullachium: *Μὴ διὰ φόβον, ἀλλὰ διὰ τὸ δέον χρεὼν ἀπέχεσθαι ἁμαρτημάτων*, et frgm. 109: *Ἀγαθὸν οὐ τὸ μὴ ἀδικέειν, ἀλλὰ τὸ μηδὲ ἐθέλειν*, cf. frgm. 107. 108. 110.

Denique observanda est divisio iustitiae in duas species, legislatoriam et iudicialem, quarum prima, quae facienda sint praecipiat, quae fieri non deceant vetet; altera minus praestans, arti medicae similis, aegrotantes sanet. Legislatoriam autem iustitiam eam ob causam praestare, quod iam

ab initio aegrotare non sinat, sed e longinquo sanitati prospiciat. Cf. §. 172: *πρὸς τούτοις ἄλλο εἶδος δικαιοσύνης κάλλιστον κατεστήσατο τὸ νομοθετικὸν ὃ προστάττει μὲν ἃ δεῖ ποιεῖν, ἀπογορεύει δὲ ἃ μὴ χρὴ πράττειν. Κρεῖττον δέ ἐστι καὶ τοῦ δικαστικοῦ. τὸ μὲν γὰρ τῇ ἰατρικῇ προσέοικε καὶ νοσήσαντας θεραπεύει. τὸ δὲ τὴν ἀρχὴν οὐδὲ νοσεῖν, ἀλλὰ πόῤῥωθεν ἐπιμελεῖται τῆς ἐν τῇ ψυχῇ ὑγιείας.*

Sed haec sufficiant. Non enim nostra interest singulas de iusto et iustitia sententias Pythagorae cum maiore vel minore veri specie colligere, sed potius inquirere, quibus fundamentis doctrina Pythagorica de iusto et honesto superstructa sit. Quod ut intelligamus, ad metaphysicas et cosmologicas Pythagorae sententias nobis est refugiendum.

Pythagoram duo principia statuisse constat, e quibus rerum universam *ἐκ τῆς ἐν αὐτῷ τάξεως*, Stob. Ecl. I, 22. 6. ed. Heeren I, p. 450, *κόσμον* significatum, compositum sit. Sunt illa *τὸ ἄπειρον* et *τὸ περαῖνον*, quod apud Platonem et Aristotelem etiam *τὸ πέρας* nominatur. Cf. Philolaum apud Stob. Ecl. phys. 1. 7 ed. Heeren. p. 456: *δῆλόν τ᾽ ἄρα ὅτι ἐκ περαινόντων τε καὶ ἀπείρων ὅ τε κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ συναρμόχθη*, cf. Diog. L. VIII, 84. Boeckh. Philol. p. 45 sq. Quibus principiis alia novem subordinata commemorantur apud Aristot. I, 5. inter quae etiam *τὸ ἀγαθὸν* et *τὸ κακὸν* occurrunt. Iam vero ex oppositis sibique adversantibus illis principiis nunquam talis ordo rerum, quem *τὸν κόσμον* significavit philosophus, existeret, nisi concentus quidam sive harmonia ea coniungeret. Cf. Philolaum ap. Stob. I, 7. ed. Heeren p. 460, Boeckh. Philol. p. 62: *Ἐπεὶ δέ τε ἀρχαὶ ὑπᾶρχον οὐχ ὁμοῖαι οὐδ᾽ ὁμόφυλοι ἐάσσαι, ἤδη ἀδύνατον ἦς ἂν καὶ αὐτοῖς κοσμηθῆμεν, εἰ μὴ ἁρμονία ἐπεγένετο, ᾧτινι ἂν τρόπῳ ἐγένετο. τὰ μὲν ὦν ὁμοῖα καὶ ὁμόφυλα ἁρμονίας οὐθὲν ἐπεδέοντο, τὰ δὲ ἀνόμοια μηδὲ ὁμόφυλα μηδὲ ἰσοτελῆ, ἀνάγκα τὰ τοιαῦτα ἁρμονίᾳ συγκεκλεῖσθαι, εἰ μέλλοντι ἐν κόσμῳ κατέχεσθαι.* At qua ratione fieri potest, ut principia sibi opposita, in quibus nihil simile reperiatur, quo consocientur, concentum quendam ineant? Ne Nicomachus quidem illam difficultatem intellexit, sed affirmat Arithm. II, p. 59 sq. *ἁρμονίαν πολυμιγέων ἕνωσιν καὶ διχᾶ φρονεόντων σύμφρασιν* esse, cf. Boeckh Philol. p. 62. Etiam Eryximachum apud Platonem Conv. p.

187, quamvis satis bene de harmonia musica disputet, difficultates illae fugiunt. Quid multa? Concentum harmonicum in *κόσμῳ* existere, Pythagoras persuasissimum habuit et philosophi esse docuit contemplando illi ordini mentem adaptare. Num vero singularem *τῶν μεταρσίων τοῦ κόσμου συμφωνιῶν* percipiendarum facultatem sibi vindicaverit, ut apud Iamblich. vita Pythag. c. 15 §. 65 contenditur, non verisimile est. Nam quum perfectam rerum, quae in *κόσμῳ* sint, cognitionem non nisi diis vindicaret, de qua cf. Philol. ap. Boeckh. p. 62, sequitur, verae scientiae potius studium, quam ipsam possessionem hominibus Pythagoram tribuisse. Ut igitur, quantum fieri possit, ad altiorem rerum cognitionem evehantur, sonorum intervallis *) imprimis autem numerorum rationibus perspiciendis summam operam navandam esse. Numeros enim ad veram rerum naturam significandam eam ob causam perquam idoneos esse, quod errori et mendacio maxime adversentur, cf. Philolaum ap. Stob. Ecl. phys. 1. 2. 3. p. 10 Heeren: *ψεῦδος δὲ οὐδαμῶς ἐς ἀριθμὸν ἐπιπνεῖ, πολέμιον γὰρ καὶ ἐχθρὸν τᾷ φύσει τὸ ψεῦδος, ἁ δ' ἀλήθεια οἰκεῖον καὶ σύμφυτον τᾷ τῶ ἀριθμῶ γενεᾷ.*

Iam vero quum Pythagoras rerum rationes non ubique harmonicas, verum etiam multum in modum dissonas vidisset, quaestio oritur, quem locum posterioribus concesserit. In *κόσμῳ* illo supremo eas ponere non licuit. Tunc enim aeterna et perfecta harmonia qua excelleret turbaretur, cf. Boeckh. Phil. pag. 94 sq. Brandis I, p. 468. Itaque nonnisi mundo, quem dixit, sublunari statum illum imperfectum et dissonantem tribuit. Nihilominus tamen eam ob causam non coactos esse homines in dissono ac pravo illo statu perseverare, imo vero fieri posse, ut assidua pulchritudinis harmonicae *τοῦ κόσμου* supremi contemplatione *σοφίας* et *ὁμοιώσεως θεοῦ* (Stob. Ecl. eth. II, p. 64.), qua nihil sit praestantius, participes fiant. Cf. Iambl. vit. Pythag. §. 137: *ἅπαντα οσα περὶ τοῦ πράττειν οὐ μὴ πράττειν διορίζουσιν, ἐστοχάσθαι τῆς πρὸς τὸ θεῖον ὁμιλίας· καὶ ἀρχὴ αὕτη ἐστι τῆς φιλοσοφίας· ὅτι γε-*

*) Quae Pythagoras eiusque asseclae de harmoniis musicis docuerint, accuratius explicat Boeckhius in Philol. p. 65 sq. in Comment. ad Pindar. I, 2. p. 203 sq. et Friesius Gesch. d. Phil. I, 127 sq.

λοῖον ποιοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ἄλλοθέν ποθεν ζητοῦντες τὸ εὖ ἢ παρὰ τῶν θεῶν. Qua ratione illa sapientia ipsi virtuti praestet, Philolaus explicat apud Stob. Ecl. phys. p. 490 et ap. Boeckh. p. 102: *Καὶ περὶ μὲν τὰ τεταγμένα τῶν μετεώρων γίγνεσθαι τὴν σοφίαν, περὶ δὲ τὰ γενόμενα τῆς ἀταξίας τὴν ἀρετήν, τελείαν μὲν ἐκείνην, ἀτελῆ δὲ ταύτην.* Itaque Pythagoras commendat, ut cuiusvis hominis anima ad ornatus coelestis ordinem composita *μικρόκοσμον* quendam repraesentet, cuius virtutes ad modum rationum illarum harmonicarum numeris accuratius describendae sint. Quo iure illud fiat, Philolaus docet: *ἴδοις δὲ καὶ οὐ μόνον ἐν τοῖς δαιμονίοις καὶ θείοις πράγμασι τὰν τῶ ἀριθμῶ φύσιν καὶ τὰν δύναμιν ἰσχύουσαν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἀνθρωπικοῖς ἔργοις καὶ λόγοις πᾶσι πάντα, καὶ κατὰ τὰς δαμιουργίας τὰς τεχνικὰς πάσας καὶ κατὰ τὰν μουσικάν.* Stob. Ecl. ph. ed. Heeren. p. 10. Boeckh. p. 141. Qua ratione autem singulas virtutes numeris adhibitis descripserint Pythagorei, ad id cognoscendum ne *δικαιοσύνης* quidem definitio supra laudata sufficit. De reliquis virtutibus etiam minus liquet. E quibus omnibus apparet, subtiliorem de iusto et honesto doctrinam apud Pythagoram e fonte quodam cosmologico emanasse eamque ob causam quaestiones physicas cum studiis mathematicis et musicis coniunctas in societate inclyta Pythagoreorum nequaquam infimum locum obtinuisse, sed potius focum quasi effecisse, e quo reliqua sicut radii prodirent.

Sed redeamus ad animae probae et bene compositae descriptionem. Sicuti in *κόσμῳ* recta et harmonica rerum ratio ea habeatur, ut *τὸ ἄπειρον* a principio contrario *τοῦ πεπερασμένου* coerceatur, ita in anima *τὸ κακὸν* sub imperio *τοῦ ἀγαθοῦ* esse debere. Cf. Arist. Eth. Nic. II, 5: *τὸ γὰρ κακὸν τοῦ ἀπείρου εἰκάζον, τὸ δ' ἀγαθὸν τοῦ πεπερασμένου.* Itaque hominum animas multis malis inquinatas, insipientia, perversitate, turbidis motibus, ira, libidinibus, angore et tristitia nonnisi sic sanari, ut melior animi pars, cognoscendi iudicandique facultas, vim obtineat et immodicis libidinibus ac perturbationibus certa lege coercitis aequale temperamentum, placationem et pacem serenam introducat. Qua de causa virtus dicitur harmonia et bona animae valetudo. Cf. Alex. ap. Diog. Laert. VIII, §. 33: *τὴν δὲ ἀρετὴν ἁρμονίαν εἶναι καὶ τὴν*

187, quamvis satis bene de harmonia musica disputet, difficultates illae fugiunt. Quid multa? Concentum harmonicum in *κόσμῳ* existere, Pythagoras persuasissimum habuit et philosophi esse docuit contemplando illi ordini mentem adaptare. Num vero singularem *τῶν μεταρσίων τοῦ κόσμου συμφωνιῶν* percipiendarum facultatem sibi vindicaverit, ut apud Iamblich. vita Pythag. c. 15 §. 65 contenditur, non verisimile est. Nam quum perfectam rerum, quae in *κόσμῳ* sint, cognitionem non nisi diis vindicaret, de qua cf. Philol. ap. Boeckh. p. 62, sequitur, verae scientiae potius studium, quam ipsam possessionem hominibus Pythagoram tribuisse. Ut igitur, quantum fieri possit, ad altiorem rerum cognitionem evehantur, sonorum intervallis *) imprimis autem numerorum rationibus perspiciendis summam operam navandam esse. Numeros enim ad veram rerum naturam significandam eam ob causam perquam idoneos esse, quod errori et mendacio maxime adversentur, cf. Philolaum ap. Stob. Ecl. phys. 1. 2. 3. p. 10 Heeren: *ψεῦδος δὲ οὐδαμῶς ἐς ἀριθμὸν ἐπιπνεῖ, πολέμιον γὰρ καὶ ἐχθρὸν τᾷ φύσει τὸ ψεῦδος, ἁ δ' ἀλήθεια οἰκεῖον καὶ σύμφυτον τᾷ τῶ ἀριθμῶ γενεᾷ.*

Iam vero quum Pythagoras rerum rationes non ubique harmonicas, verum etiam multum in modum dissonas vidisset, quaestio oritur, quem locum posterioribus concesserit. In *κόσμῳ* illo supremo eas ponere non licuit. Tunc enim aeterna et perfecta harmonia qua excelleret turbaretur, cf. Boeckh. Phil. pag. 94 sq. Brandis I, p. 468. Itaque nonnisi mundo, quem dixit, sublunari statum illum imperfectum et dissonantem tribuit. Nihilominus tamen eam ob causam non coactos esse homines in dissono ac pravo illo statu perseverare, imo vero fieri posse, ut assidua pulchritudinis harmonicae *τοῦ κόσμου* supremi contemplatione *σοφίας* et *ὁμοιώσεως θεοῦ* (Stob. Ecl. eth. II, p. 64.), qua nihil sit praestantius, participes fiant. Cf. Iambl. vit. Pythag. §. 137: *ἅπαντα ὅσα περὶ τοῦ πράττειν οὐ μὴ πράττειν διορίζουσιν, ἐστοχάσθαι τῆς πρὸς τὸ θεῖον ὁμιλίας· καὶ ἀρχὴ αὕτη ἐστὶ τῆς φιλοσοφίας· ὅτι γελοῖον ποιοῦσιν οἱ ἄνθρωποι ἄλλοθέν ποθεν ζητοῦντες τὸ εὖ ἢ παρὰ τῶν θεῶν.* Qua ratione illa sapientia ipsi virtuti praestet, Philolaus explicat apud Stob. Ecl. phys. p. 490 et ap. Boeckh. p. 102: *Καὶ περὶ μὲν τὰ τεταγμένα τῶν μετεώρων γίγνεσθαι τὴν σοφίαν, περὶ δὲ τὰ γενόμενα τῆς ἀταξίας τὴν ἀρετήν, τελείαν μὲν ἐκείνην, ἀτελῆ δὲ ταύτην.* Itaque Pythagoras commendat, ut cuiusvis hominis anima ad ornatus coelestis ordinem composita *μικρόκοσμον* quendam repraesentet, cuius virtutes ad modum rationum illarum harmonicarum numeris accuratius describendae sint. Quo iure illud fiat, Philolaus docet: *ἴδοις δὲ καὶ οὐ μόνον ἐν τοῖς δαιμονίοις καὶ θείοις πράγμασι τὰν τῶ ἀριθμῶ φύσιν καὶ τὰν δύναμιν ἰσχύουσαν, ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς ἀνθρωπικοῖς ἔργοις καὶ λόγοις πᾶσι πάντα, καὶ κατὰ τὰς δαμιουργίας τὰς τεχνικὰς πάσας καὶ κατὰ τὰν μουσικάν.* Stob. Ecl. ph. ed. Heeren. p. 10. Boeckh. p. 141. Qua ratione autem singulas virtutes numeris adhibitis descripserint Pythagorei, ad id cognoscendum ne *δικαιοσύνης* quidem definitio supra laudata sufficit. De reliquis virtutibus etiam minus liquet. E quibus omnibus apparet, subtiliorem de iusto et honesto doctrinam apud Pythagoram e fonte quodam cosmologico emanasse eamque ob causam quaestiones physicas cum studiis mathematicis et musicis coniunctas in societate inclyta Pythagoreorum nequaquam infimum locum obtinuisse, sed potius focum quasi effecisse, e quo reliqua sicut radii prodirent.

*) Quae Pythagoras eiusque asseclae de harmoniis musicis docuerint, accuratius explicat Boeckhius in Philol. p. 65 sq. in Comment. ad Pindar. I, 2. p. 203 sq. et Friesius Gesch. d. Phil. I, 127 sq.

Sed redeamus ad animae probae et bene compositae descriptionem. Sicuti in *κόσμῳ* recta et harmonica rerum ratio ea habeatur, ut *τὸ ἄπειρον* a principio contrario *τοῦ πεπερασμένου* coerceatur, ita in anima *τὸ κακὸν* sub imperio *τοῦ ἀγαθοῦ* esse debere. Cf. Arist. Eth. Nic. II, 5: *τὸ γὰρ κακὸν τοῦ ἀπείρου εἰκάζον, τὸ δ' ἀγαθὸν τοῦ πεπερασμένου.* Itaque hominum animas multis malis inquinatas, insipientia, perversitate, turbidis motibus, ira, libidinibus, angore et tristitia nonnisi sic sanari, ut melior animi pars, cognoscendi iudicandique facultas, vim obtineat et immodicis libidinibus ac perturbationibus certa lege coercitis aequale temperamentum, placationem et pacem serenam introducat. Qua de causa virtus dicitur harmonia et bona animae valetudo. Cf. Alex. ap. Diog. Laert. VIII, §. 33: *τὴν δὲ ἀρετὴν ἁρμονίαν εἶναι καὶ τὴν*

ὑγίειαν καὶ τὸ ἀγαθὸν ἅπαν καὶ τὸν θεόν. *) Ad optimum illum animae statum efficiendum Pythagoras severam illam vitae agendae rationem, varias corporis exercitationes, abstinentiam et temperantiam, sui ipsius tentandi et cognoscendi studium, denique musices usum praecepit.

In hominum societate e sententia Pythagorae summum malum est anarchia. Ut igitur pessima illa civitatum conditio iam e longinquo retineatur, cives a teneris in observantia legum et sui continentia educari iussit. Licet enim leges publicae multum in modum mancae sint et iniquae, nihilominus tamen multo praestare iis obsequium ferre, quam novas res moliri. Optimam vero civitatis conditionem in aristocratia legibus moderata sitam esse, cum nonnullis aliis argumentis, tum potissimum eo probare studuit, quod nonnisi tali ratione societatis iustum temperamentum existere possit. *Τῷ δήμῳ* enim *τὸ ἄπειρον*, principium infinitum, immodicum, insanum et turbulentum inesse viderat, ad quod compescendum et ad iustam regulam redigendum optimorum hominum regimen desideraretur. Eam ipsam ob causam amicitias illas nobiliorum, quarum ideam Alex. ap. Diog. Laert. VIII, 33. *ἐναρμόνιον ἰσότητα* esse dicit, Pythagoras maxime suadebat. Apparet enim in veterum Graecorum civitatibus mutationi tam facile obnoxiis ad iustum rerum ordinem contra plebis impetum sustentandum nobiliorum amicitias perquam necessarias fuisse.

---

*) *Τὸν θεὸν* enim de sententia Philolai *πέρας καὶ ἀπειρίαν ὑποστῆσαι*, docet Syrianus ad Arist. Metaph. XIII, 102. ap. Krischium l. l. pag. 54.

THESES.

I.

Si duae notiones contrariae a et b, quae in aequilibrium venerunt, tertia c repente accedente infra aequilibrii statum deprimuntur, descensionis lex generalis formula describenda est, in qua notionum a et b depressarum vires σ' et σ'' ad aequilibrii punctum renitentes in censum non veniant.

II.

Platonis de vera scientia doctrina in causa fuit, cur a principiis ethicis recte constituendis aberraverit.

III.

Qui revera gratiam alteri referre studet, rationem cum eo init irrationalem.

ERRATA.

Pag. 6. annot. vs. 5 leg. Choeph. vs. extr. leg. ἀλλὰ. pag. 7. v. 4. leg. probe. ib. v. 5. leg. harum. p. 9. annot. v. 8. leg. εἷς. p. 10, 27 εὖ. p. 11, 3 honesto. p. 12, 2 οὐκ ἀνσχ. 13, 15 quadruplum. 13, 24. et 15, 21 ἀπηνῆ. 16, 5 χαλεπῆναι. ib. 27 rationi σκολιαὶ θέμιστες. 17, 31 ἡγήτορας ἠδὲ μέδοντας. 28, annot. v. 9 Ἐπικυδείδη. ib. κέρδιον. 31, 27 debeat. 32, 11 ἱρῶν ταλάντων. ib. 26 ἐπένησε. 35, 7 κραταιὴ. ib. extr. ξυμφέροντι. 39, 2 Ἔριδας. 39, 20 διοτρεφέες. 40, not. v. 3 ἠδὲ. 41, annot. v. 3 ἀληθ. δὲ παρέστω. 42, not. v. 6 subripuerit. ib. 28 Bacchylides. ib. 40 citharae. 43, 20 δεινή. ib. 23 αἰδοίη τε. 44, 22 θυμῷ ἀεσίφρονι. 46, not. v. 3 χαίρουσα. 48, 15 αἰδοῖ. 54, 32 Terpander. 55, extr. αὐτόδικοι. 58, 28 θέμισι. 61, not. v. penult. πικροτάτα.